This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.


We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

A 415473


1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR

B

.C4ie

ANERGICA
MAGNARVM CONIVNCTIONVM
PANVRGIA.

Problema Phyſico-Theologico-Aſtrologicum

A'

IOSEPHO CERVIO

IN VNIVERSITATE PARMENSI

P.P. SOCIETATIS IESV'

MATHEMATICARVM AVDITORE

Expoſitum, Propugnatum, & Dicatum

Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo D.D.

CO: ALEXANDRO


SANVITALI,

Cum Auctario Theſium ad Syſtema Telluris Immotæ pertinentium.

PARMÆ, Typis Ioſephi ab Oleo, & Hippolyti Roſati. MDCLXXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

PB
26
.C42


NON MI TOCCAR CHE D'ALESSANDRO I SONO.
G.RIVA.

ILLVST.ME ET EXCELL.ME DOMINE.

Placuit mihi, ILLVST.ME & EXCELL.ME DOMINE, meas, qualeſcumq; ſint, Mathematicas de Cælo Theſes, ampliſſimo nomine tuo inſignitas propugnare. Quid .n. vnquam potuit mihi contingere, aut nobilius ad Gloriã, aut certius ad Victoriam, aut magnificentius ad Laudem, quam quod meis ſtudijs, hoc tuæ humanitatis pignus adderetur, vt ex poſitam hanc Globi Cæleſtis molem, non minus dignareris agitare mente, quam tuis ornare virtutibus? melius quam olim in Cryſtallina mole ſua inſidens COSROES Perſarum Rex, domino nutu, Cronozeuticos, Saturni ſcilicet, & Iouis concurrentes Aſpectus mo-

deraberis, ac veluti, vt ità dicam, Numen operi immixtum ſuo, mira quadam ſedulitate famulantium Planetarum, ſtationes, itinera, conuerſioneſq; diſtingues. Quid interim fælicitatis, mihi ominari nonpotero, dum præter morem, & ſupra votum intelligam, tuo dignitatem operis adauctam Lumine, quæ ſui incrementa ſplendoris ſine te non videbatur accipere? Quod igitur tuum eſt ante Te deuolutus humiliter depono, certus quod in his Matheſis meæ rudimentis, non ſolum obſequij argumentum, verum etiam grati animi, non quale velim, ſed quale poſſum, hoc tempore monumentum accipies. Hoc vnum ſit demum amplitudinis tuæ ILLVST.me & EXCELL.me DOMINE, vt tanti beneficij pignus immortale, quod contuliſti, æternis ſinas addictiſſimi animi obſequijs venerari.

DOMINATIONIS TVÆ ILLVST.mæ ATQ; EXCELL.mæ

Humil. Addictiſs. & Obſeq. Seruus
Ioſeph Ceruius.

IL GIVBILO DELLA MVSA

A' gl' applauſi vniuerſali di Parma per le publiche diffeſe

DI MATEMATICA

Soſtenute dal Signor

GIVSEPPE CERVI

E DEDICATE

All' Illuſtriſſimo, & Eccellentiſſimo Signor

CO ALESSANDRO SANVITALI

SONETTO

S' allude alla FASCIA *gentilitia dell' Illuſtriſſimo, & Eccellentiſſimo* MECENATE.

CHe dite Aſtri ſcherniti? ormai non baſta,
Ch' oltre il guardo mortal v' alzò Natura.
Anche la luce in voi, ſe non è caſta,
Dall' occhi di graud' Alma è mal ſicura.

Già vi ſormonta vn Saggio, e in van contraſta
Di que' globi immortal l' ampia miſura,
E v' apre in faccia di fulgor ſi vaſta
ZONA, ch' à gl' orbi voſtri il lampo oſcura.

Oh s' auuerrà, ch' il Sol, gl' alti confini
Sdegnando del ſintiero antico, e noto,
Sù la FASCIA improuiſa il corſo inclini.

Allhor, per far, ch' à pregi ſuoi diuoto
Le rote adoratrici il Tempo inchini,
Starà GIVSEPPE à regolarne il moto.

A. B.

DVM

DVM MATHEMATICAS THESES

publicè propugnandas exhibet

D. IOSEPH CERVIVS

Alluditur ad CERVVM ipſius gentilitium, & ad FASCIAM ILLVSTRISSIMI, Ac EXCELLENTISSIMI MECÆNATIS.

EPIGRAMMA.

Etheris incertos dum ſcis deſcribere motus,
Sublimique tuà Sydera mente notas:

Omina dat patrius, quem præfers Stemmata CERVVS;
Inclita ZONA tibi ſternit ad Aſtra viam.

Hic ad Virtutem celeres tibi præſtitit alas:
Eximiumq; parat ſplendida VITTA decus.

Miror: in Æthereis ſplendent Animalia Signis
Solus adhuc CERVVS non tamen axe micat!

Auſpice ſub ZONA tolletur ad æthera: CERVVS
Inter Zodiaci Signa perennis erit.

D. Angeli Simonetæ.

Per

Per le Publiche diffeſe

DI MATEMATICA

Soſtenute dal Signor

GIUSEPPE CERVI

SONETTO

Alludeſi alli tre Monti di ſuo Stemmo.

CERVI, che ancor ſul primo fior delli Anni,
VELOCE alla Virtude il piè Moueſti;
All' Arringo di Glorie iſpieghi i vanni,
Già che di tue carriere al fin giongeſti.

Sciolſe tua mente gli ingegnoſi inganni,
Mentre nel PERIPATO i dì traeſti:
Mà col girar delli Aſtri al ſuol tiranni,
Le vicende del Ciel ſcoprir voleſti.

Non ſognato Prometeo ardito aſceſe
Sù le Caucaſee Balze; ed' indi in quelle
Gli Arcani delle Sfere eſperto inteſe.

Mà non ſon già di te l'opre men belle;
Mentre eccelſa Virtù ci fai paleſe
Sù i MONTI tuoi poggi à mirar le STELLE.

Del Sig. Angelo Simonetta.

Nella

& præterlunari viciſſitudines, rerumque Cataſtrophas vniuerſales pendere iurant Aſtrologi, propterea ex arreptâ, vel oblatâ occaſione *Coniunctionis maximæ* Saturni, & Iouis hoc, & præcedenti Anno in Signo Leonis celebratæ, in animum Iubens induxi, quà futiles prædictionum offucias, quà nigras Terriculamentorum vmbras, quibus vaniſſimi Aſtromantes ſparſis in vulgus libellis, credulas nimis mortalium mentes obnubere moliuntur, lucis radio depulſurus, non ingratum, vt ſpero, Problema proponere duas in partes dirimendum. In primâ ſuppoſitiones quaſdam veritati tum explicandæ, tum firmandæ neceſſarias præmittam; in altera Theſium Enneade *Anergicam* prædictarum coniunctionum *Energiam*, ſeu potius *Panurgiam*, hoc eſt, inefficacem efficaciam contra *Syzygiarios* Aſtromantas reſuatbo.

PARS PRIMA

Problematis ſuppoſitiones quaſdam exhibens.

I. *Quid ſit Aſpectus, & quæ illius Conditiones.*

ASpectus iuxtà Valentinum Naibodam, eſt *Arcus Zodiaci, ſeù interuallum in Zodiaco computatum, ex quo Stellæ maximam vim ſibi communicant*; Iuxtà Maginum in direction. can. 39. eſt *radioſa Planetarum, vel Stellarum adinuicem commixtio, à certis, ac determinatis circuli, ſeù Cæli locis, per quam influitur, & applicatur ipſa virtus ad certam, ac determinatam Telluris partem*; Iuxtà Keplerum in Epitome Aſtron. quia negat radios à ſtella ad ſtellam tranſmiſſos ſuam ipſi communicare virtutem, & admittit dùm taxat radiosę virtutis vnionem in Tellure factã, Aſpectus eſt *Angulus apud Terram formatus radijs luminoſis binorum Planetarum efficax ad ſtimulandã Naturam ſublunarem*; ſed alijs non placet, quia neq; *Coniunctio*, neq; *Oppoſitio*, quas tamen inter præcipuos aſpectus recipit, formant per ſe Angulum apud terram, quandò *Coniunctiones*, aut *Oppoſitiones*, ſunt centrales, nedum *partiliter*, ſeù per corpus factæ; Quarè iuxtà Riccioliũ Aſpectus eſt *Concurſus radiorũ in terram à duabus ſtellis, vel Planetis rectà demiſſorum efficax ad ſtimulandam naturam ſublunarem*. Hæc porrò efficacitas oritur ex perfecta prædicti Anguli, vel concurſus proportione cum quattuor rectis vnum Terræ punctum circumſtantibus; Huius autem proportionis perfectio duo requirit. Primò vt termini proportionum ſint commenſurabiles h. e., vt angulus conflans aſpectum conſtet ex partibus aliquotis, totum circulum, ſeù quattuor rectos metientibus. Secundò vt Arcus, qui eſt menſura huius an-

guli, de toto circulo, *Geometricè*, videlicet per rectam eſſabilem, aut ſaltem ſcibilem reſecetur; Figuræ autem regulares circulo inſcriptiles, ac ſcibiles ſunt infinitæ, ſi ſpectetur continua Arcuum diuiſio, & laterum, ſeù chordarum duplicatio; Radicales tamen ſunt tres, nempè Trigonum, Tetragonum, & Pentagonum; Ex Trigono enim Hexagonum, ab Hexagono Dedecagonum &c. ex Tetragono Octogonum &c. ex Pentagono Decagonum, Icoſigonum &c. oriuntur: Quamuis autem ex parte *Geometriæ*, prædicta perfectio requiratur, *Phyſicè* tamen certa anguli magnitudo, aut radiorum incidentia exigitur, vt nempè ex hac, & dicta proportione efficax ad ſtimulandam naturam ſublunarem energia progignatur. Reuera aſpectuum efficacia *paſſiuè* in terra, non in ipſis ſtellis conſideratur, eſto per quandam phraſim ſemipoeticam, Aſtrologi multa Planetis, ac Fixis tribuant perindè, ac ſi eſſent in ipſa ſuperficie fixarum, ac ſeſe mutuò intuerentur, mutuiſq; irradiationibus, percuterent, iuuarent, debilitarent, fouerent &c. quæ licet à veritate interdum non diſſentiant, ad præſentem tamen quæſtionem, non faciunt.

II. Quot ſint Aſpectus antiqui, & Noui.

VEtus Aſtrologia 5. dumtaxat agnouit, nempè Coniunctionem, Oppoſitionem, Trinum, Quadratum, Sextilem; Keplerus verò partim ex Moeſthlino, Fabricio, multiſq; medicorum, partim ex obſeruatione propria, octo alios adiecit, quorum nomina, & quantitates habes in adiecto laterculo, diſcretis nouis, ab antiquis diuerſitate characteris.

Aſpe-

Aſpectuum Nomina	Signa	Angulorum Quantitas
1 Coniunctio	0	Gra. 0
2 *Semiſextus*	1	30
3 *Decilis*	.	36
4 *Octilis*	.	45
5 Sextilis	2	60
6 *Quintilis*	.	72
7 Quadratus	3	90
8 *Tridecilis*	.	108
9 Trinus	4	120
10 *Seſquadrus*	.	135
11 *Biquintilis*	.	144
12 *Quincunx*	5	150
13 Oppoſitio	6	180

Ex notatis Aſpectibus *Mercurio* præter coniunctionem cum *Sole* nullus alius conuenit, niſi fortè *Semiſextus* in aliqua hypotheſi cõcedente illi à *Sole* digreſſionem grad. 30. *Veneri* autem cum *Sole* non niſi priores quattuor; *Veneri*, & *Mercurio* poſſunt ferè ſeptem priores aſpectus conuenire; cæteris verò Planetis omnes promiſcuè competunt; Subdiuiditur porrò aſpectus quilibet, in *Verum*, ſeù *Apparentem*, & *Medium*, prout locus, ſeù motus verus, aut medius in illis conſideratur, ſed communiter exceptis coniunctione, & oppoſitione conſiderantur veri; Rurſus diuiditur in *Partilem*, & *Platicum*; Partilis, ſeù perfectus, & exactus, eſt cum duæ Stellæ diſtant præcisè tot gradibus, quot ad aſpectum illum requiruntur; *Platicus* autem, ſeù per Orbem,

aut laxus eſt, quandò binas inter Stellas non eſt præciſè quantitas Arcus ad illum aſpectum requiſita, ſed tamen ea reperitur, ſi amplitudo, ſeù lux Orbis ipſorum attendatur; Quòd ſi Planeta ſit ità coniunctus alteri, vt minus ab inuicem diſtent, quam aggregatum ſemidiametrorum vtriuſq; apparentium; dicitur *Coniunctio corporalis*, ſeù per *corpus*. Iam verò quantitas, ſeù lux Orbium, ad quam vires ſuas ſtellæ creduntur extendere ab Aſtrologis cum *Cardano* lib. 3. Quadrip. eſt, quæ hic exhibetur.

Quantitas, ſeù Lux Orbium

Fixæ Magnitudo	Lux Orbium Grad.	1.	Planetæ	Lux Orbium Grad.	1.
1	7	30	Saturn.	10	0
2	5	30	Iuppit.	10	0
3	3	30	Mars	7	30
4	1	30	Sol	17	0
5	1	0	Venus	8	0
6	0		Mercur.	7	0
		30	Luna	12	30

Deindè ſicut *Partilis* diuiditur in *Simplicem*, & *Compoſitum*, pro vt ſpectatur in illo ſola longitudo, in hoc autem longitudo ſimul, & latitudo; Ità Platicus ſubdiuiditur in *Applicationem*, & *Defluxum*, ſeù ſeparationem; Applicatio autem fit, quandò velocior Planeta accedit ad tardiorem; cum verò recedit ab eo, dicitur *Defluxus*, dũmodò diſtantia non ſit maior radijs ipſorum; fieriq; poteſt, vt Planeta inferior ſit ponderoſior, ſeù tardior aliquo ſuperiore, ſi nempè inferior ſit *retrogradus*, aut numero *diminutus*; Præterea quilibet aſpectus diuiditur in *Siniſtrum*, & *dexterum*. Siniſter eſt, qui reſpectu alicuius puncti cæleſtis com-

puta-

putatur iuxtà ordinem ſignorum; Dexter verò è contrà; qui tamen validior creditur, ſi comparetur cum angulis cæli, quia ſtellæ ad illum vi primi mobilis deferuntur; ſed ſiniſter validior cenſetur, ſi ad alia ſydera referatur, quia ad illum Planetæ vi proprij motus appropinquant.

III. Quid ſit Apocataſtaſis, ſeù Reuolutio, & Quotuplex.

Reuolutio, græcè *Apocataſtaſis* eſt reditus alicuius Stellæ ab eodem, ad eundem terminum, cui prius fuerat copulata; ſiuè ille terminus ſit altera ſtella, ſiuè aliquod inſigne punctum Cæli; quæ quidem eò eſt inſignior, quò plures conditiones, & prærogatiuæ in vtramq; coniunctionem conuenerint; vt ſi iterum *Sol*, & *Luna* in eodem Zodiaci loco, puta, in principio Arietis coniungantur; Potiſſima verò Apocataſtaſeon genera ſunt duo. Primum eſt Planetarum ad *Solem*, eundemq; Zodiaci locum relatorum; Alterum Planetarum aliorum ad ſe ipſos mutuò, eademq; Zodiaci loca. Primi generis reuolutio eſt, cum quæritur tempus, quo Planeta quiſpiam, & Sol totum abſoluunt Zodiacũ, ſeù ad eundem Zodiaci Gradum, in quo prius coiuerant, reſtituuntur. Porrò ex ſententia *Io: Kepleri*, à quo parum quo ad hoc punctum aliorum Aſtronomorum Hypotheſes recedunt; *Saturnus*, & *Sol* reuertuntur ſimul ad eundem Zodiaci locum proximè intrà annos 59. Ità vt Sol dùm vicibus 59. Zodiacum perambulat, *Saturnus* eundem bis tantum emetiatur.

Hinc quia Anno 1649. die 9. Iunij fuit coniunctio Saturni, & Solis in grad. 18. Geminorum, certi ſumus, numeratis deinceps Annis 59. Saturnum cum Sole coiturum Anno 1708. die 9. Iunij in grad. 18. Geminorum, ſed claritatis gratia inſpice in adiecto laterculo.

Reuolutiones Planetarũ ad Solem in eodẽ proximè Zodiaci loco.

	Anni Solares	Reuolutiones		Anni Solares	Reuolutiones
Sat.	59	2	Ven.	8	5
Iupp.	83	7	Merc.	13	54
Mars	15	8	Luna	19	235
	17	9		72	940
	32	17		257	3500
	47	25		304	3760
	79	42		3400	42053

Hinc vides *Lunam*, licet multò citius, quam *Sol*, Zodiacum percurrat, vt tamen accuratius ad *Solem*, in eodem Zodiaci loco, & eadem hora, immò penè eodem minuto, iuxtà varios Cyclos Luniſolares, quorum accuratiſſimus eſt annorum 3400. poſt abſolutos menſes Synodicos 42053., reſtituatur, pluribus indigere annis, quam quilibet alius Planetarum depoſcat.

IV. Quænam ſit Coniunctio Magna, & Maxima.

MVlta hìc eſt, ſi alibi, inter Aſtrologos altercatio; nam primò, *Meſſala* Arabs lib. de Coniunct. *Maximam* vocat, cùm *Saturnus*, *Iuppiter*, & *Mars* eodem die proximè conueniunt, vbicumq; tandem conuentus iſte celebretur in Zodiaco: *Maiorem* verò appellat, cùm *Saturnus*, & *Iuppiter*; *Mediocrem*, ſeù *Mediam*, cùm *Saturnus*, & *Mars*; *Magnam*, cùm *Iuppiter*, & *Mars* coniunguntur, adeoq; quattuor ſtatuit genera coniunctionum.

Secundò *Albumazar* cum tota ferè Aſtrologorum Turba, immò, & Aſtronomorum Curia *Maximam* appellat, quandò Saturnus, & Iuppiter coeunt in principio Arietis, quod eſt initium

Igneæ

Igneæ Triplicitatis, vel in tranſitu à fine Piſcium, & *Aqueæ* ad *IgneamTriplicitatem* in principio Arietis ineuntem, præſertim ſi fiat poſt reuolutionem annorum 800. circiter, aut 900. reliquas Saturni, & Iouis ſynodos vocat communiter *Magnas*, ſiuè fiant poſt 20. quemq; annum, ſiuè poſt 200. facta reuolutione à principio vnius ad principium alterius triplicitatis, v. g. ab initio Arietis ad initium Capricorni, vel ab huius ad initium Libræ, vel ab huius ad initium Cancri, quas coniunctiones *Ducenarias* nonnulli *Maiores*, alij *Medias* vocant; Saturni autem, & Martis, nuncupat *Minores*; Genericum tamen omnibus eſt nomen coniunctionis *Magnæ*, nempè 2. ſuperiorum planetarum, eò quod ponderoſiſſimi, ſeù tardiſſimi ſint, durentq; in Syzygia corporali, vel platica multò diutius, quàm reliqui planetæ, & ad plures annos talium ſynodorum, vel effecta, vel prognoſtica credantur extendere.

Tertiò qui cum Cardano *Octigentarias* appellant *Magnas*, ij *Vicenarias* dicunt *Minores*, & *Ducenarias*, *Medias*. In hac autem controuerſia, ſicut ex adiunctis facilè diſcernitur, de quanam coniunctione hìc, & nunc loquantur Authores, ità operæ pretium me facturum puto, ſi notas aliquas ſemper adiecero, ex quibus diſtinctè innoteſcat, de qua coniunctionum ſpecie diſſeratur; Nemò tamen inficiabitur, magnitudinem hanc, & præſtantiam coniunctionum deſumi poſſe, vel primò à dignitate, atq; planetarum efficacia, vel ſecundò à concurſu plurium ex illis in vnum Zodiaci locum eodem, aut proximis diebus; vel tertiò ab interuallo maiori, quo in eundem Zodiaci locum reuoluuntur; vel quartò à loci ipſius Zodiacalis dignitate, & quo plures huiuſmodi conditiones quampiam inſigniuerint coniunctionem, eo maiori prærogariua Nomenclaturam *Magnæ*, aut *Maximæ* coniunctionis promereri.

Quartò ſed de trium ſuperiorum planetarum ſyzygijs loquendo videntur mihi cum Ricciolio, & alijs tres Claſſes, terniq; in vnaquaq; claſſe gradus poſſe, ac debere conſtitui.

Prima

Prima claſſis eſt coniunctionum Saturni, & Iouis, quas *Chronozeuticas*, ſeù *Saturnjouiales*. Secunda eſt Saturni, & Martis, quas *Chronaritica*s, ſeù Saturnimartiales; Tertia Iouis, & Martis, quas *Arizeuticas*, vel *Zeuariticas*, ſeù *Martiouiales*, aut *Iouimartiales* liceat appellare.

Primus autem Gradus in vnaquaq; ſpecie ſit, quando coniunct. ɔ eſt Periodica, reuoluto toto Zodiaco, ſed ab vno puncto Cardinali ad idem reuolutione facta v. g. ab initio ad initium Arietis, & has *Magnas*, aut *Maximas* vocabimus in ſua quamq; claſſe.

Secundus gradus ſit, quandò coniunctionū loca ab vno puncto Cardinali ad aliud immediatè ſubſequēs, vel præcedēs, aut ſaltē oppoſitū tranſeunt, vt ab initio Arietis ad initium Capricorni, & has dicemus *Minores*, qui quidem magis elucet in *Chronozeuticis*. In Arizeuticis autem ſpectandus eſt tranſitus ad oppoſitum, vt ab initio Arietis ad initium Libræ.

Tertius Gradus eſt coniunctionum, proximè, & immediatè ſibi ſuccedentium, quas *Minimas* nuncupabimus, niſi fortè quis malit; Primę Claſſis *Magnas*, Secundę *Medias* Tertię *Miuimas* nominare, & in vnaquaq; non ipſas coniunctiones, ſed interualla ipſa diſtinguere in *Minima*, *Media*, *& Maxima*; Verùm dummodo in rem ipſam conueniamus, loquatur vniſquiſq; pro vt libuerit.

V. Qua, & qnalis ſit coniunctio Saturni, & Iouis hiſce Annis 1682. & 1683. celebrata.

Coniunctio præſens eſt *Chronozeutica*, nempè Saturnijouialis in Leonis ſigno ad Triplicitatem Igneam pertinente, celebrata, adeòq; iuxta ſuppoſitionem quartam num. 4. expoſitam, ad tertium primæ Claſſis gradum reuocanda, cùm immediatè ſubſecuta ſit alteram, quæ Anno 1662. prima vice in Sagittario *Platicè* die 11. Decembris facta fuit, vt liquet ex Argoli Ephemerid:

merid: & ſecunda vice in eodem Sagittario die 24. Aprilis 1663. item *Platicè*; & tertia vice in eodem Sagittario die 22. Octobris, non tamen *Partiliter*, cùm ſecundum longitudinem Saturnus à Ioue diſtaret vno minuto, nec tamen vltrà 53. ſecunda diſtare debuiſſet.

Secundò Prædicta Iouis, & Saturni coniunctio facta eſt prima vice *Platicè* circa diem 21 Iulij 1682. in Leone; deindè iterum *Platicè* ſed arctius die 27. Octobris eiuſdem anni 1682; tertiò item *Platicè*, ſed magis ad *Partilem* accedens die 25. Ianuarij 1683. cum iam Planetæ euaſiſſent Retrogradi iuxtà Ephemeridas *Mezzauachæ* parum ab *Argolo* diſſidentis; At reuera *Partilis* fuit die 10. Februarij; vndè diem in Ephemerid: aſſignatum per 15. dies anteceſſit; Quartò tandem die 25. Maij 1683. ex ijsdem *Argolo*, & *Mezzauacha* celebrata eſt item *Platicè*, licet maximè ad *Partilem* acceſſerit; cum Saturnus non diſtaret à Ioue in Ecliptica, niſi per duo minuta, & vno tantum ſecundum latitudinem, cum ambo euaſiſſent directi. Verùm quidnam Aſtrologicè portendat, vel efficiat, ſuis inferius locis, pedetentim indicabitur.

VI. Medianæ, an Veræ Coniunctiones ſint in præſenti conſiderandæ.

TRes ſententias reperio. Prima cum *Albumaſar*, *Origano*, *Keplero*, cunctiſq; penè Aſtrologis *Mediam* præfert coniunctionem, h. e. illam, quæ fit ſecundum lineas medij motus. Secunda cum *Bellantio*, & alijs, *Veras*, *& apparentes coniunctiones* eligit. Tertia non abſolutè, ſed ex hypotheſi quod huiuſmodi congreſſus queant inſignes in mundo ſublunari mutationes, vel efficere, vel ſaltem ſignificare, attendit ad *Veras*, non ſecus, ac ad *Veras* Luminarium Synodos in Eclipſibus; ſi qua enim eſt vis in illis maior, quam in alijs minoribus Syzygijs, vtiq; propter horum duorum Planetarum ponderoſitatem, vt vocant h. e. tarditatem, & grauitatem, ob quam coniuncti durant tres, aut quattuor

tuor dies; cùm è contrà in *Medijs* coniunctio centrorum vtriuſq; Epicycli ſit momentanea. Exiſtimo tamen adhibendos motus medios, mediaq; coniunctiones, non ſolum vt faciliori ſupputatione eminus ſubodoremus *Verarum* coniunctionum tempora, verùm etiam, quia inchoant applicationem quandam ipſorum influxuum, ac velut diſpoſitiones ſunt ad impreſſionem per *Veras* efficiendam; Si autem ſuccedant *Veris* per *defluxum*, retinent aliquid de impreſſione iam facta, ſeù perſeuerant adhuc Planetæ, ſic veluti in influxu ſemel impreſſo, quandiù *Media* coniunctio durauerit.

VII. *Quæ ſint loca Zodiaci, in quibus Magnæ, aut Maximæ coniunctiones fiunt; Quidq; quot, & quales ſint Signorum Triplicitates, & quis illorum ordo.*

PRimò Aſtromantes Antiquiſſimi antè *Albumaſarem*, & *Alchabitium* duodecim Zodiaci ſigna in quattuor claſſes, quatuor Elementorum qualitatibus analogas partiti ſunt.

Prima claſſis continet tria ſigna *Ignea*, videlicet Arietem, Leonem, Sagittarium. Secunda tria *Terrea*, Taurum, Virginem, Capricornum; Tertia tria *Aerea* Geminos, Libram, Aquarium; Quarta tria *Aquea* Cancrum, Scorpionem, Piſces, & indè Primam Triplicitatem ex tribus ſignis compoſitam vocarunt *Igneam*; 2. *Terream* 3. *Aeream* 4. *Aqueam*.

Secundò cur autem *Trigonos*, ſeù *Triplicitates* appellauerint, [illegible]. Si Saturnus, & Iuppiter, in principio Arietis, ſeù Triplicitatis igneæ coeant, poſt annos ferè 20. fiet altera illorum coniunctio, ſed longè à principio Arietis in præcedentia, ſeù re-[illegible] circiter Zodiaci, h. e. per gradus ferè 120. atq; [illegible] principium Sagittarij, quod eſt ſignum *Igneum*, & [illegible] poſt alios 20. annos per alia quattuor ſigna in [illegible] ſigni *Ignei* retrocedet. Itaq; cum per trientẽ [illegible] proximarum coniunctinnum inter ſe diſtent,

diſtent, fit, vt 60. annorum ſpatio trium ſyzygiarum loca forment Triangulum fermè Æquilaterum circulo inſcriptum, ſeq; aſpectù quaſi Trino, ſeù Trigono reſpiciant. Verùm

Tertiò quia coniunctionum iſtarum loca non diſtant præcisè triente circuli, ſed aliquantò minus, h. e. grad. 117. in Pręceden tia; Hinc fit vt 60. quoq; anno coniunctio ſuperet locum initialem gradibus circiter 9. & annis 180. grad. 27. adeoq; annis circiter 200. quibus fiunt coniunctiones 10. cuſpides triangulorum, ſingulis ſignis vnius claſſis abſolutis ad ſigna alterius triplicitatis tranſeant; Ità vt ſi prima fuit *Ignea*, ſecunda ſit *Terrea*, & in hiſce tribus ſignis moretur ſecunda coniunctionum decas. Quarè annis fermè 800. h. e. 794. & diebus 332. quattuor triplicitates, totuſq; Zodiacus abſoluuntur. Iterumq; Saturni, & Iouis coniunctio ad initium Arietis reuertens euadit *Maxima*.

VIII. Quanta ſit magnarum, ac maximarum coniunctionum, quo ad motus medios, interualla.

QVattuor reperio ſententias, quas breuitatis gratia ſubiectus laterculus diſtinctim exhibebit.

Coniunctionis Saturni, & Iouis interualla in Annis Iulianis.		
Coniunctio	Authores	An. D. H. I. II.
Minor	Albumaſar.	20. 0. 0. 0. 0.
	Cardanus.	19.313.19. 0. 0.
	Maginus.	19.314.12.59.25.
	Keplerus.	20. ferè.
Media	Albumaſar.	240. 0. 0. 0. 0.
	Cardanus.	198.236. 0. 0. 0.
	Maginus.	198.216. 9.53.52.
	Keplerus.	200. ferè.
Maxima	Albumaſar.	960. 0. 0. 0. 0.
	Cardanus.	794.214. 9. 0. 0.
	Maginus.	794.133.15.35.28.
	Keplerus.	800. ferè.

IX. *Quænam ſint interualla, & loca mediarum coniunctionum maxima, minora, & minima in tribus Planetis ſuperioribus.*

INſpice ſubiectam Tabellam, in qua præter alia obſeruabis in vna coniunctionum Saturni, & Iouis periodo, fieri 40. ſed in vna Saturni, & Martis, fieri 15. & in vna Iouis, & Martis, fieri 6. &c.

Inter-

Interualla Coniunctionum, Saturni, Iouis, & Martis in Annis Iulianis.				
	Interualla	An. D. H. 1.	Zodiaci Arcus Signa:Grad: 1.	Numerus Coniũctionum.
	Minima	19. 314. 12. 59.	8. 2. 59.	1.
	Media	198. 216. 9. 54.	8. 29. 47.	10.
	Maxima	794. 133. 15. 35.	11. 29. 8.	40.
	Minima	2. 8. 20. 50.	0. 24. 36.	1.
	Media	6. 15. 11. 29.	3. 8. 24.	4.
	Maxima	24. 68. 1. 4.	12. 9. 0.	15.
	Minima	2. 86. 10. 26.	2. 0. 41.	1.
	Media	6. 259. 7. 18.	6. 2. 3.	3.
	Maxima	13. 153. 14. 36.	12. 6. 9.	6.

Porrò verarum, ſeù apparentium coniunctionum interualla, illarumq; diſtantiam à medijs non facilè aſſignauerim propter nimiam planetariorũ motuũ inæqualitatem, & anomaliam, quæ certam, ac præciſam regulam definire non permittit; ob conditionem tamen motus directi, & retrogradi, ſitumq; abſidum, poteſt *Veras* inter, & *Medias*, tam paruum inter eſſe diſcrimen, vt intrà vnum annum tres Saturni, & Iouis celebrentur, vt factum legimus tùm anno 5. antè Ortum *Chriſti Domini*, tùm anno *Chriſti* 1563. & 1564. tùm præſenti 1682. & 1683. ſicut ex inſignium coniunctionum Chronographia liquet.

X. *De Natura, & Affectionibus, partim Phyſicis, partim Aſtronomicis trium Superiorum Planetarum, nempè Saturni, Iouis, & Martis.*

PRimò *Saturnus*, natura *Plumbeus*, phyſicè ſphæricus, alieno fulgens lumine, Terraqueo maior vicibus ſaltem 89. duobus, vel tribus ſtipatus Lateronibus, à terra diſtans ſemidiametris

metris Terreſtribus 81105. in Apogeo; 58207. in Perigeo; conficit motu raptus vna hora ſemidiametros Terræ 23593. vno minuto 393. vno ſecundo 6. ſeù milliaria Italica 30000. circiter; At motu longitudinis, percurrit totum Zodiacum annis Solaribus 29. diebus 181. horis 22. minutis 28. ſecundis 3. tertijs 22. fermè.

Secundò *Iuppiter* natura *Cupreus*, phyſicè ſphęricus, alieno radians lumine, tribus, vel quattuor faſcijs paulò obſcurioribus, vt plurimum, præcinctus, quattuor Lateronibus, non eodem incedentibus greſſu comitatus, diſtans à terra ſemidiametris Terreſtribus in Apogeo 45669. in Perigeo 28864. Terraqueo maior vicibus ferè 685. conficit motu raptus vna hora ſemidiametros terræ 12477. vno minuto 207. vno ſecundo 3. ſeù milliaria Italica 15000. circiter; at motu proprio longitudinis abſoluit Zodiacum annis 11. diebus 315. horis 15. minutis 2. ſecundis 10. tertijs 30. circiter, adeòq; ſingulis annis vnum ferè ſignum percurrit.

Tertiò *Mars* natura *ferreus* phyſicè ſphæricus, aliena luce illuſtris, maculis nigricantibus interdum pictus, à terrà in Apogeo diſtans ſemid. Terreſtribus 19576. in Perigeo 2670. terraqueo maior iuxtà *VVendelinum* vicibus ſaltem 13. at iuxtà *alias* eodem minor hoc eſt, eiuſdem $\frac{86}{100}$ ſpatio horę vnius conficit ab Ortu in Occaſum ſemid. terreſt. 5496. & amplius; vno minuto 91 $\frac{3}{5}$ vno ſecundo milliaria Italica 7500. at Eclipticam peragrat diebus 686. circiter &c.

Quartò in tribus prædictis Erronibus [ab alijs nunc præſcindo] ſex motuum differentias animaduertimus, nempè Primò diurnũ, ſeù primi mobilis ab Ortu in Occaſum. Secundò longitudinis ab Occaſu in Ortum. Tertiò declinationis ab Æquatore verſus mũdi Polos. Quartò latitudinis ab Ecliptica verſus eiuſdem Polos. Quintò altitudinis, & profunditatis, ſeù Apogei, & Perigei. Sextò vertiginis, ſeù reuolutionis circà proprium vniuſcuiuſq; centrum, & axem.

PARS SECVNDA

PROBLEMATIS;

In qua diſceptatur, Vtrum magnæ, vel maximæ trium ſuperiorum Planetarum coniunctiones ſint Cauſæ, vel ſigna magnarum in mundo, ſiuè ſublunari, ſiuè ſuperlunari mutationum.

VT ordinatim procedamus; ſciendum eſt ad ſeptem capita reuocari poſſe effectus, vel mutationes inſignes, quas à prędictis coniunctionibus, vel ſignificari, vel fieri, crepantibus buccis paſſim clamitat Aſtrologorum Turba; ſuntq; Primò Nouorum Syderum, vel Cometarum Geneſis, & apparentia in Cælis. Secundò Regnorum, aut Rerumpublicarum veterum quidem deſitio, & Nouarum creatio. Tertiò Religionis antiquæ deſtructio, & nouæ incæptio. Quartò Stellæ, quæ tres magos ad Chriſti Domini Incunabula deduxit, accenſio. Quintò Nati, aut mox Naſcituri Redemptoris Aduentus. Sextò Diluuij Noetici adductio. Septimò Extrema totiùs Mundi conflagratio; quæ cum omnia, & ſingula non minus falſitatis, quàm temeritatis, immò, & impietatis redoleant, per varias Concluſiones ſingillatim, Deo adiuuante, refellemus.

CONCLVSIO PRIMA.

MAgnæ aut maximæ coniunctiones Saturni, & Iouis, vel Saturni, & Martis, vel Iouis, & Martis, non ſunt ſigna, aut cauſæ nouorum Syderum, aut Cometarum in Cælo ſuperlunari apparentium.

1.

Prima pars de *Nouis Syderibus* eſt tùm contrà *Arabes* ferè omnes, tùm *Gulielmum Poſtellum Gallum*; qui, & notauit Stellam

Nouam, quæ apparuit anno 1572. in Cathedra Caſſiopeæ, durauitq; vſq; ad Martium anni 1574. incidiſſe in ſeptimam Periodũ maximarum coniunctionum, quarum Trigonus ab *Aqueis* ad *Ignea ſigna* tranſitum fecit, & fuiſſe in confinio Piſcium, & Arietis. Hinc *Mollerus*, & *Krabbus*, referente Keplero, cùm Cometam menſe Octobri anni 1604. oriturum prædixiſſent, neruis omnibus contenderunt, ſtellam nouam illius anni fuiſſe genitam à coniunctione maxima: ſiquidem anno 1603. coniunctio magna Saturni, & Iouis in grad. 8. Sagittarij ex obſeruationibus Kepleri incidit in diem 17. Decembris paulò poſt Meridiem, eſto in Ephemeridibus *Cyprianus Leouitius* ad Meridiem diei 29. Decembris; *Maginus* ex Prutenicis ad diem 24. *Tycho* autem ad diem 19. exhibuerint; cæterum anno 1604. die 26. Septembris facta eſt coniunctio Saturni, & Martis poſt horam octauam in grad. 10. Sagittarij, quæ magnam coniunctionem compleuit. Quarè cum fuerit circà initium Sagittarij, ſeptemq; harum coniunctionum Periodi, tribuendo ſingulis annos ferè 800. in principio Sagittarij ſint abſolutæ, rectè dicitur huius ſtellæ exortus incidiſſe in ſeptimam Periodum magnarum coniunctionum, in Signis Aqueis celebratarum; quod verò ſingulare contigit in hac ſtella, fuit locus ipſe in Cælo, in quo Planetę ſuperiores erant coniuncti; nam *Stella noua* in grad. 8. Sagittarij ſe præbuit aſpectandam; quòd ſanè mirabile fuit, & ominoſum Aſtrologi buccinabant.

Secunda pars de Cometis eſt contrà *Longomontanum*, qui licet in Appen. cap. 4. dicat, Deum in Cęlis omnia quęcumq; vult, facere, in Cometis tamen faciundis, vti potiſſimum Martis, & Mercurij *Coniunctione*, *Oppoſitione*, aut *Quadratura*. *Heuelius* quoq; in Cometographia lib. 7. pag. 426. licet tempore coniunctionum, tùm ſtellas nouas, tùm cometas interdum (non verò ſemper) prognatos concedat Aſtrologis, ſed vndè id eueniat, ab ipſis toto cælo diſſentit.

Probatur Concluſio, quò ad vtramq; partem: ſi magnæ, aut maximæ trium ſuperiorum Planetarum coniunctiones, eſſent ſi-

gna

gna naturalia, & cauſæ per ſe neceſſariæ nouorum ſyderum, & cometarum cæleſtium, toties noua ſydera, cæleſteſq; cometæ in Aura Etherea deberent apparere, quoties huiuſmodi coniunctiones celebrantur, ſed hoc euidenti repugnat experientiæ; ergo. *Maioris* ſequela ſuadetur, quia inter ſignum naturale, & rem ſignificatam, inter cauſam neceſſariam, & per ſe, atq; effectum indè reſultabilem datur certa, & infallibilis connexio, ſicuti inductione facta per omnes cauſarum differentias, cuiq; vel leuiter conſideranti innoteſcet; ſed magnæ, vel maximę coniunctiones ſunt ex mente aduerſariorum ſigna naturalia, vel cauſæ neceſſariæ, & adæquatæ nouorum ſyderum, & cometarum celeſtium, ergo. *Minor* quoque primi ſyllogiſmi patet, quia qui huiuſmodi coniunctionum Chronologiam percurret, vnicum dumtaxat inueniet exemplum maximæ coniũctionis in Sagittario anno 1604. factæ, & in principio Arietis, non anno quidem 1572. ſed 1583. celebratæ, quæ quidem coniunctio poſt annorum decadem facta ab exortu noui ſyderis, ſyderis ipſius independentiam à præcedenti Syzygia manifeſtè demonſtrat. Cùm verò multas ab orbe condito cæleſtium cometarum centurias numeremus, vt videre eſt apud *Ricciolium*, & *Heuelium*, pluſquam vanum eſſet illorum Geneſim, paucis, & longo interuallo diſſitis ſuperiorùm Planetarum coniunctionibus acceptam referrè; Vndè vnius ſtellæ nouæ, aut cometæ anni 1604. exortus fortuitæ Aſtrologorum prognoſi reſpondens nequaquam ſufficit ad certam legem ſtatuendam, ſicut rectè colligit apud *Keplerum Io: VVeidnerus* medicus eruditis hiſce carminibus;

At ſi quis Iouis, & Martis congreſſa duorum
Aſtra Planetarum, imberbem gemiſſe Cometam,
Prædictumq; ſibi magno contendat hiatu
Aſtrologaſter iners: centum opponemus eidem
Errorum coitus, nullum genuiſſe Cometam,
Verà loqui caſu, mendacia mille locutum &c.

[illegible] cum Arabum Aſtrologaſtris; Vt ex coniunctio- [illegible] maximis, cometes, vel ſtella noua oritura præ- [illegible] oporteret ſeriò perpendere, & præſcire tùm certam [illegible] determinatum Zodiaci punctum; in quibus coniun- [illegible]

[illegible], tùm quia nullæ adhuc Tabulæ Aſtronomicæ ſic vl- [illegible] limam, vt certiſſimus, de die, ne dum de puncto Zo- [illegible] in quibus prædictæ coniunctiones fiant, ob tarditatem nem- [illegible] ſuperiorum Planetarum; adeoq; in magna coniunctio- [illegible] 1603. differentia Tabularum fuit dierum 13. & anno præ- [illegible] dierum ferè 15. vt paulò ſuperius adnotaui; tùm quia [illegible] ſinè ope Teloſcopij facientibus, maior apparet [illegible] vtriuſq; diſcus, & ob hanc cauſam motuum tarditati [illegible] videntur prædicti Errones toto vno die coniuncti hæ- [illegible] At

[illegible]matur primò. Si ſtellæ nouæ (quòd ipſum dicito de co- [illegible] ſtellibus) fiunt in firmamento, vel non longè ab ipſo, quip- [illegible] Parallaxi, non maiori duobus ſecundis carentes; aſ- [illegible] de quo hic loquimur, non eſſet talis *abſolutè*, nec re- [illegible] fixis, & omnia firmamenti puncta, ſed tantum *relatiuè* [illegible], quibus Zodiaci circulus in aſpectus varios diſtribu- [illegible] reſpectu aliquarum fixarum coniuncti ſunt perpetuò [illegible], & Iuppiter, & vbicumq; exiſtant, linea recta per illos [illegible] in aliquod firmamenti punctum, ergo continuatim [illegible] noua ſydera generari contrà experientiam.

[illegible]firmatur ſecundò. Diſtantia ingens, & moles nouorũ ſyde- [illegible], ac improbandam facit hanc opinionem; ſi [illegible] in firmamento, vel non longè ab ipſo, & tamen [illegible] minores Ioue, re ipſa tamen ſunt multò maiores; [illegible] Iuppiter, & Saturnus, tantæ molis ſtellam multò ſe [illegible] gignere poſſunt? aut ſi poſſunt, cur tam longè [illegible] propè, cùm tota Ætheris vaſtitas homogenea, & [illegible], ne dum *homeuſios* adſtruatur? & ob hanc ra-

tionem

tionem *Keplerus* ipſe negat, ſtellas nouas eſſe ſobolem magnarum coniunctionum per ſe, quamquam eruditè contrà Epicureos omnia *Caſui* adſcribentes diſputans, doceat; nouam ſtellam anni 1604. non caſui iuxtà mentem Epicureorum, ſed iuxtà ſenſum Catholicorum, rectèq; Philoſophantium incidiſſe in coniunctionem à Planetis ſuperioribus in Sagittario celebratam, quod, & de alijs vltrò concedit *Heuelius*, ſed *caſualiter* omninò contigiſſe.

CONCLVSIO SECVNDA.

M*Agnæ, aut maximæ trium ſuperiorum Planetarum coniunctiones, non ſunt ſigna, vel cauſæ translationis Regnorum, aut deſitionis veterum, & in cæptionis nouarum rerumpublicarum. eſt contrà Campanellam* lib. 2. Aſtrolog. 2. *Mauritium Co. de Fliſco decade de fato Sphæra prima &c.*

Probatur, quia ſi prædictæ Erronum ſyzygiæ forent ſigna, vel cauſæ translationis Regnorum &c. toties deberemus huiuſmodi Regnorum, ac Rerumpublicum Metamorphoſes in terris experiri, quoties planetariæ coniunctiones, ſiuè magnæ, ſiuè maximæ, ſiuè maiores celebrantur in cęlis, ſed conſequens eſt falſum, ergo & antecedens: *maior* conſtat inductione, tum cauſarum omnium per ſe talium, tùm ſignorum naturalium, quæ neceſſariam, & infallibilem habent cum effectibus, & rebus ſignificatis connexionem; *minorem* verò oſtendunt præteritorum ſæculorum Hiſtoriæ, ex quibus liquet, nec ſingulis annorum Vicenarijs, quibus *magnæ*; nec Ducenarijs, quibus *maiores*; nec Octingentarijs, quibus *maximæ* coniunctiones fiunt, huiuſmodi Regnorum, aut Rerumpublium mutationes extitiſſe, non ſolum in toto mundo, ſed ne in ijs quidem Climatibus, aut Paralellis, quibus Planetæ coniuncti, Verticales fuerunt, ergo &c.

Oppones primò. Celebriores Orbis Monarchiæ tùm exordium, tùm excidium ſortitæ ſunt propè tempora magnæ alicuius, aut maximæ coniunctionis, ergo Imperiorum Natiuitates, atq; In-

teritus fatalem habent cum magnis planetarum ſynodis colligationem. *Probatur* antecedens; nam *Prima* poſt Diluuium Noeticum Monarchia in noſtro Hemiſphærio celeberrima, nempè *Aſſyriorum* cæpit ſub Nino annis ante *Chriſtum* 2292. & anno ſequenti facta eſt ſynodus maxima planetarum in Leonis grad. 14. Poſtmodum *ſecunda Babyloniorum* Monarchia ſortita eſt initiũ ſub *Nabuchodonoſore* annis antè *Chriſtum* 747. & anno 741. fit coniunctio in Arietis grad. 8. *Tertia Perſarum* exorditur ſub *Cyro* annis antè *Chriſtum* 535. At anno 542. præceſſerat ſynodus planetarum in Capricorni grad. 8. *Quarta Grecorum* ſub *Alexandro M.* incipit annis antè *Chriſtum* 330. & anno 343. præiuerat coniunctio in Libræ grad. 8. *Quinta* tandem *Romanorum* inchoatur anno antè *Chriſtum* 46. ſub Iulio Cæſare, & eodem anno celebratur coniunctio in Scorpionis grad. 24. ergo &c.

Reſpondeo primò dato, & non conceſſo antecedẽte cum ſua probatione, diſtinguo conſequens; habent colligationem *propriè* dictam, h. e. in ratione ſigni, vel cauſæ, nego conſequentiam; habent colligationem *impropriè* dictam, h. e. in ratione temporis, quia tam prædictæ coniunctiones, quam initia, & exitia Imperiorum fuerunt ſub eàdẽ durationis menſura, tranſeat conſequentia.

Reſpondeo ſecundò, negando antec. cum ſua probatione; tùm quia plurimum diſſident Chronographi, quo ad determinanda exordia, & excidia Imperiorum in obiectione relatorũ; tùm quia, vt conſideranti patebit; *Prima* ſolum, & *Vltima* ex recenſitis Monarchijs, *temporaliter*, & *duratiuè* connectitur cum adductis planetarum ſyzygijs; *alia* verò per plura annorum interualla diſcordant, adeoq; ſi qua datur colligatio præter meram coexiſtentiam, eſt dùmtaxat per accidens, & caſualis, aut fortuita &c.

Oppones ſecundò, ex *Co. Mauritio de Fliſco* dec. de Fato pagina mihi 176. qui ex planetarum magnis, aut maximis coniunctionibus [quas omnes æquè efficaces putat] in aliquo Trigonorum celebratis ſequentes, ait, effectus fuiſſe obſeruatos. In *Igneo Trigono* fieri Monarchias, & Imperia propter Solis, & Iouis dominationem;

nem;

nem; hinc tranquillitatem, & pacem in populis florere; Viros in ſcientijs, & artibus conſpicuos excellere, & magnam in terris ſterilitatem, in Vrbibus Annonæ caritatem dominari. In *terreo trigono* præter terræmotus, eluuiones, cometas, & Principum Imperitiam; Monarchias in *ignea triplicitate* natas, in hac *terrea* ad interitum vergere: adeoq; *Caroli Magni* Monarchiam, quæ in *ignea* ſurrexerat, in *terrea* penè collapſam, & alia per plures paginas congerit, de linguarum diuiſione in Campo *Sennaar*, vbi Turris Babelica cæpit ædificari: de ortu Imperij Aſſyriorum: de Nino, ac Semiramide: de Zoroaſtro Bactrianorum Rege, de Balthaſſare interfecto; de Romano Imperio, ac tandem Auſtriaco, quòd *Aſtrologicè prophetans* vſq; ad ſæculi conſummationem duraturum, pollicetur, ergo &c.

Reſpondeo, me præter denſam, ac reconditam eruditionem, nihil ex citato Authore colligere; tùm quia Chronographia, quam ſequitur, eſt multis incerta; alijs falſa; tùm quia ea etiam tranſmiſſa, nihil aliud euincitur, niſi, vt non ſemel notaui, temporanea colligatio magnarum, aut maximarum coniunctionum, cum Natiuitate, aut Funere Imperiorum quorundam, non omnium, immò pauciſſimorum; ſi res ad exactam redigatur Hiſtoriarum, ac temporum ſupputationem.

CONCLVSIO TERTIA.

M*Vltò minus eædem, ſiuè magnæ, ſiuè maiores, aut maximæ ſuperiorum Erronum ſyzygiæ ſunt ſigna, vel cauſæ deſtructionis, vel abrogationis Antiquæ, & creationis Nouæ ſupernaturalis Religionis, aut Aduentus Magni Prophetæ* &c. eſt *Co: Mauritij de Feliseo* Decade de Fato, omniumq; Catholicè ſapientium, contrà *Albumaſarem, Cardanum*, alioſq; non minus temerè, quam ſtultè, atq; impiè delirantes Aſtromantas.

Probatur prima pars Concluſionis; ſi magnæ planetarum ſyzygiæ &c. ſunt ſigna Religionis ſupernaturalis, vel *Veteris* euer-

tendæ, vel *nouæ* ædificandæ, erunt, vel naturalia, vel arbitraria, & ad placitum, ſed neutrum dici poteſt &c. non *primum* quia ens naturale ſecundum ſe conſideratum, quales ſunt prædictæ coniunctiones, non connectitur cum ente ſupernaturali, qualis eſt *Religio veteris*, vel *noui Teſtamenti*, immò ſi talis daretur connexio naturalis inter præfatas coniunctiones, & Religionem *Moſaicam*, aut *Euangelicam*, iam talis Religio non eſſet ſupernaturalis contrà hypotheſim; non poteſt etiam dici *Secundum*, quia talis Planetarum cætus deberet fuiſſe inſtitutus, vel à creatura rationali, vel à Deo Creatore ad creationem, aut deſtructionem Religionis ſignificãdam; atqui non eſt inſtitutus ab vlla creatura, vt fatentur ipſi Aſtrologi; non etiam à Deo, quia nec diuina ſcriptura, nec Traditio Apoſtolica, nec Cõcilia, nec Patres, aut Theologi id vel leuiter indicant ergo &c.

Probatur ſecunda pars, quod eædem coniunctiones non ſint cauſæ Religionis vel fundandę, vel euertendæ; ſi enim ſuperiores Planetæ in aliquo zodiaci gradu coniuncti Religionem antiquam abolerent, nouamq; inducerent, vel id facerent *neceſſariò*, & *fataliter*, vel *contingenter*, & *liberè*; non neceſſario, quia cum Religionis ſupernaturalis inſtitutio ſit libera Deo, ſtultum eſſet aſſerere, Creatorem à creatura neceſſitari, non *liberè*; quia cùm corpora cœleſtia nullatenus ſint animata, ne dum intellectiua, quis dixerit ea liberè operari? quo tamen etiam dato, & non conceſſo, qua virtute, & poteſtate corpora Planetarum, vbicumq; in zodiaco coniungantur, Religionem ſupernaturalem, in terris, vel condent, vel abolebunt? Apage has nugas, & deliria, quæ referre, ne dum refellere pudet: vndè non ſunt audiendi qui prædictis coniunctionibus tribuunt Aduentũ, vel *Magni Prophetæ*, vel *Antichriſti*, & *Pſeudoprophetarum*.

CON-

CONCLVSIO QVARTA.

M*Agna, aut maxima Saturni, & Iouis coniunctio quæ anno Iuliano* 44. *aut* 45. *ſeù 6. antè Epocham Chriſtianam celebrata fuit in fine Piſcium, & principio Arietis, neq; produxit neq; ſignificauit ſtellam illam admirabilem, que tres Orientis Dynaſtas ad Chriſti Domini Præſepe deduxit.* Eſt contrà *Io: Keplerũ,* & *Petrum Alliacenſem* S. R. E. *Cardinalem*, & *Epiſcopum Cameracenſem* Pariſienſis Gymnaſij Cancellarium, & *Io: Gerſonis* Præceptorem lib: de concordia Theologiæ, & Aſtrologiæ.

Probatur primò cauſa effectrix non exiſtens pro ea tẽporis differentia, qua primò exiſtit effectus, non poteſt talem effectum producere; ſed pro ea temporis differentia, pro qua ſtella magorum primò fulſit in Cœlo, Saturni, & Iouis coniunctio non exiſtebat, ergo non potuit huiuſmodi ſtellam producere. *Maiorem* ſupponunt certam omnes Philoſophi, cum agere, aut poſſe agere ſit proprietas realis, quæ non enti conuenire non poteſt; probatur *Minor*, quia prædicta Saturni, Iouiſq; coniunctio facta eſt anno 44. aut 45 Iuliano. h. e. annis .*6.* antè *Chriſti* Natiuitatem; ſed ſtella magorum ductrix, in ipſo *Natiuitatis Dominicæ* momento primum apparuit, ergo Saturni, Iouiſq; coniunctio non extitit pro illa temporis differentia, pro qua ſtella magorum primò fulgere cæpit. *Maiorem* dant, & ſupponunt Aduerſarij: *Minor* ſuadetur; quia ſecundum probabilem Theologorum, & S. S. Patrum ſententiam, ſtella hæc, quo die ortus eſt *Chriſtus* in ſpecu Bethlemitico, apparuit magis in Oriente, qui 13. dierum ſpatio, ſiuè ob locorum viciniam, ſiuè ob dromedariorum celeritatem ab *Eſaia* indicatam, ad ſpecus Bethlemiticum peruenerunt, vt ſentiunt; *Ianſenius*, *Baronius*, *Maldonatus*, *Suarez*, *Barradius*, *Torniellus*, *Gordorus*, cum *D. Io: Chryſoſtomo* hom: 7. in Matth:, & *D. Thoma* 3. p. q. 36. art. 6. ad 3. qui hanc opinionem tertio loco referens videtur eam eligere, ergo &c.

Proba-

Probatur Secundò; quia verior, communiorq; S. S. P. P. ac Theologorum ſententia eſt; ſtellam hanc, neq; vnã de antiquis ſtellis in Cœlo fixis, aut errantibus, neq; cometam propriè fuiſſe, neq; ſtellam in Firmamento, aut non longè ab ipſo, naturali generatione productam; ſed *Nouam* quidem eſſe ſtellam, in Aere, & ex Aere, vel materia meteorologica, diuinitus extrà ordinem naturæ, ac miraculo formatam, ità tamen vt fuerit ens ſupernaturale, ſaltem quo ad modum, ſi non quo ad ſubſtantiã, vt docet *D. Thomas* 3. p. q. 16. art. 7. dicens *Probabilius tamen videtur, quod fuerit ſtella de nouo creata, non in Cælo, ſed in Aere vicino Terræ, quæ ſecundum diuinam voluntatem mouebatur*; *cui adhærent Abulenſis* in cap 2. Matth. q. 11. *Salmeron* tom. 2. tract. 39. *Cornelius à Lapide* in cap. 2. Matth: & ante omnes *S. Fulgentius* ſer. de Epiph. dicens: *hac ſtella numquam apparuit, quia tunc eã puer iſte creauit, & Magis ad ſe venientibus prauiam deputauit; iſte puer in Præſepe quidem paruulus colloccatur, ſed magnus in Cælo mirabiliter operatur.*

Immo *Tycho* ipſe Aſtronomorum Phænix tom: 1. progymn: cõparans *nouam ſtellam*, quæ Anno 1572. apparuit in cathedra Caſſiopeæ cum hac; inquit, ſtella illa, quæ in Oriente Magis apparuit, non erat de cœleſtium aſtrorum genere, neq; cum hac noua, cuius fit hic mentio, aut Cometis vllatenus congruebat; fuit potius peculiare, & admirandum Dei opus; ergo cum ſtella magorum fuerit ens ſupernaturale, nullam habuit, nec habere potuit connexionem, aut dependentiam à coniunctione Saturni, & Iouis, quæ eſt quid purè naturale, ergo &c.

Confirmant euidenter multa ſupernaturalitatem huius ſideris, nempè primo ſplendor, ſecundo forma, tertio motor, quarto modus, quo Magis ortum *Chriſti Redemptoris* ſignificauit.

Et primo ſplendorem huius ſtellæ fuiſſe maximum, & excellentiorem omnium ſtellarum lumine, tradunt *S. Chryſoſtomus* homil: 6. in Matth. *S. Leo Papa* ſer: 1. & 3. Epiph. & *S. Ignatius M.* epiſt: 14. ad Ephes inquiens; *ſtella iu Cœlo fulſit ſuper omnes*, *quæ*

quæ ante ipſam erant, & lux eius inæſtimabilis, & noua, atq; peregrina apparuit videntibus eam; cætera verò ſydera ſimul cum ſole, & Luna chorus illius fuere ſtellæ; illa verò ſuperabat omnes ſplendore ſuo.

Secũdo quo ad formã; cũ dicitur *ſtella in ſacroſanto Euangelio*, vtiq; formam ſtellæ habuit ſiuè caudatæ Xiphiæ cuſpide verſus terrã porrecta, ſiuè perfectè rotundæ; vtrum autem imago *pueri Ieſu* in ſtella illa refulſerit, incertum eſt. *Plinius* certè lib: ſecundo cap. 25. explicans varia cometarum, & portentorum genera, hæc habet. *Fit, & candidus cometes argenteo crine refulgens*, vt *vix intueri liceat, ſpecieq; humana Dei effigiem in ſe oſtendens*. Que verba *Fromundus* lib: 3. Meteor cap. 4. ait *nebuloſa eſſe ſed nõ improbabiliter intelligi de ſtella*, quæ tribus Magis ad Chriſti incunabula dux fuit; fortaſſe .n. fama vulgauerat, ſub Auguſti Principatu cometam in Oriente, & Iudæa viſum, in quo imago pueruli expreſſa cerneretur, quem Chriſtiani Deum hominem appellarent

Author quoq; *operis imperfecti* apud *Maldonatum* refert hiſtoriã apocrypham, videlicet in ſtella ſimilitudinem pueri apparuiſſe, qui Magos allocutus *Chriſtum* iam natum docuerit; ſed multò probabilius eſt, non prius eos vidiſſe imaginẽ pueri, quã puerũ ipſum iuxtà illud Sybillæ Eritreæ Vaticinium lib. 8. oraculorum:

Diuinamq; Magi ſtellam coluere recentem,
Monſtratuſq; Dei præcepta ſequentibus infans
Eſt in Præſepi &c.

Si quis tamen verba Authoris *Imperfecti*, hom: 2. in Matth. deſiderat, ecce: vbi .n. narraſſet ex *Sethianorum* libris 12. ſucceſſores Balaami per ſingulas generationes deputaſſe aliquos, qui Cœlum continuè contemplarentur aut ſtellam poſt meſſium trituram obſeruarent, quandò nam ſtella illa per oraculum Balaami prædicta oriretur, adiecit; *Apparuit eis deſcendens ſuper Montem illum victorialem, habens in ſe formam quaſi pueri paucu-*

li,

li, & ſuper ſe ſimilitudinem Crucis, & præcepit eis, vt proficiſcerentur in Iudeam; proficiſcentibus autem eis per biennium præcedebat ſtella, & neq; eſca, neque potus defecit in peris eorum. Vèrum hæc commenta fuiſſe ab Hęreticis ſethianis excogitata colligitur ex *S. Epiphanio* hæres 26. & 39.

Tertiò circà virtutem directiuam, & motiuam huius ſtellæ; duæ ſunt opiniones; Prior tribuit hoc *Spiritui Sancto*, qui ſicut in Columbæ ſpecie ſuprà *Chriſtum* in Iordane Baptizatum apparuit *S. Io: Baptiſta*, ità per ſtellæ ſpeciem apparuit Magis. Altera eſt, fuiſſe Deum, per Angeli miniſterium, ſiuè deindè Angelus ſtellam aſſumpſerit, ſiuè dumtaxat impulerit, vt videre eſt apud *D. Thomam* 3. p. q. 36. art. 7. & apud Authorem operis de mirabilibus Sacræ Scripturæ, qui habetur tom. 3. operum D. Auguſtini lib: 3. cap. 4. &c.

Quartò qua ratione ſtella hæc docuerit Magos, natum iam eſſe Regem Iudæorum, & quibus indicijs diſcernere potuerint, illam ad huius Regis natalitia, potius quam ad aliud quidpiam ſignificandum inſtitutam, adeòq; vt dicere potuerint: *vidimus ſtellam eius &c.* eius inquam, & non alterius;

Reſpondeo tria concurriſſe, ad cognoſcendum hoc determinatè, & certò, nempè *primò* diſpoſitionem remotam ortam in Magis, ex aſtrorum peritia, ſeù ex aſtronomica profeſſione, cui licet id non exigenti, voluit ſe ſe Deus accommodare vocando eos per ſtellæ inuſitatæ ſplendorem.

Secundò peculiarẽ oraculi Balaami notitiam; tertiò, & præcipuè interiorem radium diuiuæ *Illuſtrationis*, & *gratiæ* excitantis, quæ & illos concomitata eſt, & ſubſecuta vſq; ad adorationem, & reditum in Regionem propriam, immò in Cœlum vſq; ad contemplandam ſpeciem Diuinitatis, quæ omnia ex S.S. Patribus, & diuinæ paginæ expoſitibus colliguntur: ergo cum tot prodigijs, ac prærogatiuis totius naturæ maieſtatem longè ſuperantibus hæc ſtella præfulſerit, non potuit, aut produci, aut ſignificari à Saturni, Iouiſq; maxima coniunctione, quæ in ipſo

etiam

etiam ſtellæ exortu celebrata fuiſſet, cùm tamen ſexennium antè præceſſerit. Verùm ad clariorem dictorum explicationem.

Opponunt primò; ſuppoſuimus ſtellam hanc in ipſo Natiuitatis dominicæ puncto productam, ſed hoc videtur falſum, vel ſaltem valdè dubium; nam primò aliqui cum *D. Io: Chryſoſtomo* hom. 7. in Matth. volunt, ſtellam triennio antè ortum Saluatorem apparuiſſe Magis in Oriente; ſecundò alij cum *S. Epiphanio* lib. 2. hæreſi 30. eodem quidem die ortum Chriſtum, & ſtellam in aere productam, eamq; Magis tunc primum apparuiſſe, Magos autem non niſi poſt biennium perueniſſe Hieroſolymam, & Bethleē. Tertio alij cum *D. Auguſtino* lib: 2. cap. 11. de conſenſu Euangeliſt. ſtellam quidem eodem die cum Chriſto natam, & Magos 13. die ab ipſius fulſione perueniſſe Bethleem, ſed infanticidium ad annum Chriſti 2. fuiſſe dilatū quartò tandem alij cū *D. Toma* 3. p: q: 36. art. 6. ad 3. quo die natus eſt Chriſtus, apparuiſſe ſtellam Magis, eoſq; poſt 13. dies aduениſſe Bethleem, atq; infanticidium 3. circiter menſe poſt Chriſti Natiuitatem fuiſſe peractum; ergo &c.

Reſpondeo, data maiori nego minorem, ad cuius probationem dato antec: nego conſeq; nam ex allatis opinionibus, quarta, quam ſequimur, eſt alijs longè probabilior, vt ſingulas accuratius expendenti conſtabit.

Quò ad primam enim; ſi Magi ſtellam viderunt biennio antè Chriſti Natiuitatem, aut ſtatim ſe in viam dederunt; & hoc non; quia nimis præproperè perueniſſent, ac de Rege naſcituro potius, quam nato inquiſiuiſſent, cum nulla Regio Indiæ Orientalis, nedùm Arabiæ, aut Perſidis, aut Chaldeæ, ſeù Meſopotamiæ tanto itineris interuallo diſtet à Palęſtina; vel non ſtatim ſe itineri commiſerunt, & hoc non; quia tarditatis, & negligentiæ redarguerentur, præter quam quòd non opus fuit ſtellam illis apparere antè tempus illi itineri neceſſarium.

Quò ad ſecundam, contrà eſt, tùm quia tarditatis, & pigritiæ nota Magis inuritur, cum locorum longinquitas tantum morę

non

[illegible] quia talis expoſitio minus conſonat litteræ S. [illegible] Magos reperiſſe Infantem poſitum in Præſe- [illegible] tatis indicatur infantilis paucorum dierum æ- [illegible] quo recenter natus erat [nimirum Præſepe,& illa [illegible] natus eſſet &c. ecce Magi &c.] indicat celeritatem [illegible] & pauciſſimorum dierum interuallum, inter Ortum [illegible] *Chriſti Domini*, & inter Aduentum Magorum, vt no- [illegible] S. Iuſtinus Martyr in Dialogo, cum Triphone inqui- [illegible] *ſimulatq; natus eſt Chriſtus, Magi ab Arabia aduenientes* [illegible] *adorarunt eum &c.*

[illegible] ad *tertiam* ſententiam, quam mordicus tenet *Cornelius à Lapide* in cap. 2. Matth. n.16. pro ſe adducens *Vgonem Victorinũ*, [illegible] *Abulenſem, Cartuſianum, S. Antoninum, & Barradium* [illegible] menſe circiter 15. ab Ortu Chriſti perpetratum fuiſſe Infanticidium, adeoq; ab Herode cædem dilatam fuiſſe, tùm ob cauſas domeſticas, tum vt melius cognoſceret de Parentibus, & Genealogia Chriſti, tùm vt certam methodum ſtatueret congregandi Infantes ad necem, vel ſub ſpecie conuiuij, vel ſub ſpecie [illegible]. Fauent *Cornelio Nicephorus* lib. 1. cap. 14. & *Cedrenus* in Compendio Hiſtoriarum, putantes, *S. Io: Baptiſtam* ob [illegible] Herodis perſecutionem fugiſſe in Deſertum, cum eſſet bimulus, Ortus enim erat *6.* menſibus antè Chriſtum, quibus ſi additis 15. menſes, fiunt 21. menſes; quare maiorem 2. Anni partem expleuerat; eidem opinioni ſubſcribunt *Tirinus* in cap. 2. Matthæi, *Onuphrius Panuinus* ad Annum primũ Chriſti, & *Genebrardus* lib. 2. Chron; quibus non obſtantibus dico;

Quartam Opinionem eſſe cæteris præferendam, adeoq; ſequendam, nempe, quo diè natus eſt Chriſtus, apparuiſſe Stellam Magis, eoſq; poſt 13. dies ad ſpecus Bethlemiticum perueniſſe, (& hucuſq; hæc opinio a Tertia *Cornelij* non diſcrepat) & infanticidium peractum 3. circiter menſe poſt Chriſti Natiuitatem [non autem 15. iuxtà *Cornelium à Lapide*] vbi ſcilicet Herodes ſe deluſum vidit à Magis, & audiuit famam Regis recenter Nati, atq; in Templo

Templo præſentati, ſed maioris ſecuritatis gratia, ac præcipiti furore, & libidine dominatum retinendi, ampliaſſe impium decretum, vt occiderentur omnes, qui intrà Bimatum continerentur; iuſiſſe tamen, ne occiderentur illi, quos certus erat, natos poſt ortum Stellæ, & id ſignificari per illa verba *ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis*, ità vt plus ſibi timuerit à Natis antè Stellā, vel ſtellæ ortę aſſertionem, quam à Natis poſt illam; ità videtur ſentire *D. Thomas* 3. p. q. 36. art. 6. ad 3. cum alijs ſuperius citatis. At *Ricciolius* tom. 1. lib. 6. cap. 14. Chronolog. agens de annis *Herodis Magni* fusè, & ſolidè oſtendit, eodem anno, quo Chriſtus natus, & circumciſus fuit, ipſum Herodem poſt Paſchatis feſtum menſe Aprili interijſſe, adeoq; necem Infantium perpatratam 3. circiter menſe poſt Chriſti Natiuitatem, quæ die 25. Decembris contigit. Fortaſsè timuit Herodes, ne Puer, cui ſydera famulabantur, ſpeciem ſuam paulò ſuprà ætatem transformaret, vt cum *S. Auguſtino* aduertit D. Th. l. c ideoq; Infanticidium acceleraſſe; & ſic patet ad obiectionem.

Opponunt ſecundò Stella, quæ Magis apparuit, habuit re vera ſpeciem ſtellæ, cum ſtellam nominet Euangelij litera; ergo fuit, vel vna de Antiquis fixis, aut errantibus, quæ ad Terram deſcenderit, ſicut putauit *S. Gregorius Nyſſenus* hom. de Chriſti Incarn. & alij Innominati apud *Abulenſem*, & *Salmeronem*; vel 2. Cometa, [nam, & Cometæ ſtellarū nuncupatione donantur ab Aſtronomis] vt cenſuit *Tannerus* q. 7. de Cælis ex *Origene* lib. 1. contrà Celſum; vel 3. noua Stella naturali generatione producta, vt penes *Tychonem* tom. 1. Progym. voluit *Theodorus Beza* Nequiſſimus Caluiniſta dicens, nouam ſtellam Caſſiopeæ anni 1572. fuiſſe cometam, vel ſtellam, [nam cometes ſupra Lunam factos non diſtinguit à ſtellis nouis) & quidem illam eandem, quæ tres Magos ad Chriſtum recenter natum adduxit, & quæ nunc 2. Chriſti Aduentui, ac Mundi fini præluceat, eſto *Tycho*, ipſum non ſerò id affirmaſſe, ſed poetica feſtiuitate concinnaſſe aſſerat: *Beza* enim ſic audacter, & parùm piè luſit, & illuſit;

Iſte

Iſte nouus nullo ſuriali crine Cometes,
Et radians, puro cui nitet igne, iubar.
Ecquid portendit Terris, Deus ille Deorum
Nouit, & oſtendent tempore fata ſuo.
Quod ſi humana aliquid poſſunt praeſciſſere mentes,
Talia ſcrutari; nec mihi ſigna nefas.
Hic ille eſt, olim paruam Dauidis ad vrbem
Duxit ab Eoo qui prius orbe Magos.
Et qui naſcenti praeluxit, nunciat idem
Ecce redux reducem rurſus adeſſe Deum.
Hinc igitur felix ò Turba applaude Piorum,
Tù verò Herodes Sanguinolente, time.

Ergo Stella Magorum non fuit ex Aere, aut Meteorologica materia diuinitus, ac extrà ordinem naturæ efformata.

Reſpondeo dato antec. nego conſq; quo ad omnes ſui partes; nam quo *ad primam;* ſi Stella Magorum fuiſſet vna ex antiquis Fixis, aut Planetis; Primò nihil noui portendiſſet Magis, ſi nempè curſum, locum, ac figuram antiquarum ſtellarum tenuiſſet, at ſecus euenit, cum neq; motu primi mobilis reuolueretur, vt fixę; nec motu proprio in Orientem ferretur, vt Planetæ, ſed ab Oriente Occaſum verſus ad Meridiem non nihil flectens verſus Bethleem; nec noctu ſolùm, ſed interdiù quoq; ſplenderet, nam probabilius eſt Magos diurnum iter magis, quam nocturnum inſtituiſſe; nec motu circulari, & continuo, ſed rectilineo potius, atq; interrupto moueretur, ſi quidem quieſcentibus Magos ſubſiſtebat, pergentibus ibat iuxtà illud *Eccleſiæ; Ibant Magi, quam viderant, Stellam ſequentes præuiam;* neq; diù durauit, ſed vbi ſupra Tugurium *Pueri Ieſu* immota per aliquot horas effulſit, ſuo iam perfuncta officio, euanuit, quamuis anteà quoq; Magos Hieroſolymam ingreſſiſſe occultaſſet.

Secundò nec in Cælo, nec in ſuprema Aeris regione fuit, alioquin non deſignaſſet determinatè domum, vbi erat Puer, vt rectè *Tycho,* & anteà *Nicephorus* adnotarunt, ſed integram Paleſtinę

Prouinciam; ponamus enim fuiſſe altam milliaribus Italicis 50. aut 60. quantam altitudinem tribuunt Antiquiores Optici ſupremæ Aeris regioni, vtiq; videri potuiſſet ex diſtantia milliarium 520. vt patet ex *Altimetria*, vbi de Amplitudine Horizontis phyſici ex diſtantia videntis, & altitudine obiecti viſibilis; fuit itaq; longè humilior, ac Terræ propior. At nihil horum habent antiquæ ſtellæ, ſiuè Fixæ, ſiuè Erraticæ; ergò rectè S.S. Patres, & præcipuè *S. Auguſtinus* lib. 2. cap. 5. contrà Fauſtum negant, fuiſſe vnam de antiquis ſtellis.

Tertiò nihilominus aduertunt *Maldonatus*, & *Suarez* 3. p. diſp. 14. ſec. 5. Argumenta hactenus adducta non conuincere omninò, ſed eſſe dumtaxat probabilia; potuiſſet enim ſtellarum conditor, vocare vnam de antiquis ſtellis minuſculis, illiq; imperare, vt in Meſopotamiam, Chaldæam, vel Arabiam delapſa, curſum tantis per ſuum ordinarium intermittens, nouo motu Ducatum Magis præberet, iuxtà illud *Baruch.* 3. *Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodijs ſuis &c. vocatæ ſunt, & dixerunt, adſumus &c.* ſuauitas tamen diuinæ prouidentiæ nobis ſuadet, vt potius nouam ſtellam putemus in aere, & ex aere conditam, ac inuſitatis ſplendoribus cumulatam, quam maiori miraculo, antiquam ex Firmamento detractam, & poſtea ſurſum fuiſſe reductam; miracula enim maiora non ſunt aſſerenda, niſi probentur.

Quò ad ſecundam Sententiam, non videtur Stella hæc Cometis ſublunaribus adnumeranda; nam licet *Origenes* dixerit eſſe de Genere cometarum (ait enim, *ſed eius generis quales Cometæ viſuntur*) vel ſimilem cometæ, innuendo ſcilicet genus remotum, & ſimilitudinem ſolùm in materia, & loco, quia ex aere, & in aere formata fuit, cui etiam probabiliter acceſſit appendix Caudæ, aut Radij verſus Tugurium Bethlemiticum porrecti, vt habetur in multis Eccleſiæ Picturis; cæterum multiplici ex capite à cometis differebat; Primò enim cometæ, vt plurimum mouentur ad motum primi Mobilis [eſto vnus, vel alter viſus ſit immobilis in Hiſt. Comet.] & hæc ſtella mouebatur quidem, ſed non alio

 motu,

motu, quam à Meſopotamia, vel Cha ... tur (neq;
dendo, & rurſum oriendo, & peragen ... m: alioqui
& quidem non motu naturali, vt illi fac ... percontatus
geli Motoris, eam deuehentis, vel impel ... quod Deus ſingu-
dò Magi ſubſiſtebant ſiſtentis. *Secundò* ... *ſiue quod illi*
circularis eſt iuxtà *Tychonem*, aut ... *rint, quæ mortalibus*
quidem, ſed per lineam *Traiectoriam*, ... *excellentis*. Quaſi
ac ſurſum poſtea recipiuntur; Motu ... quod alijs inuiſibile
neus erat, in tranſuerſum, & ferè pa ... circà ſtellulas alioquin
vt cum *Abulenſi* docet *Salmeron*. *Te* ... non eſt viſa à Iudæis quia
conſpicui ſunt, & ſola lux Crepuſc ... alibi à famulis Mago
Magorum de die ſplendens à ſolis lur ... hom. 62. in Epiph. ait,
illud vincebat; *Quartò* cometæ, au ... *tur, ſed non ab omnibus in*
regione, aut in cælo verſantur; Ma
nis, vel cubitis diſtabat à Terris, & ... Magorum ſtella inſolito ſplen-
latebat. ... icans, & videri potuerit, &

Quintò cometæ caudam, aut ba ... in Meſopotamia &c. nihil-
ſemper auerſam proijciunt in plag ... quia adhoc, vt ſtella hæc certò
radius, qui caudæ inſtar erat, ad ... Iudæorum, certiſq; indicijs di-
ſus. *Sextò* cometæ non apparent ... natiuitatem potiùs, quam aliud
ſed plerumq; maiores ab initio, a ... urrerunt, nempè;
dè incipiunt decreſcere, vt tand ... Magis; *ſecundò* peculiaris notitiæ
vel eiuſdem fuit magnitudinis a ... Radius diuinæ illuſtrationis, &
vt cenſet *Abulenſis*, ne ſua inæq ... & ſubſequentis, vſq; ad adora-
gis præberet, vel potius quandò ... centis, vt colligitur ex S.S. Pa-
toris, ſubitò incrementum form ... uiſſe Philoſophos, atq; Aſtrono-
tillantium vibratione lumin ... iſſimos, ideoq; Deum illis per ſtel-
mox illis ſpeluncam ingreſſis, ... docent *S.S. Cyprianus*, *Leo*, *An-*
dit *Salmeron* cum *Toſtato*, ... *mus*; Vndè Gloſſa Ordinaria in-
in Natalibus Regum, aut P ... *Philoſophorum Chaldæorum*, *qui*
ſuſeorum, atq; interitus ... *Io: Baptiſta Mantuanus* de E-
xandri M. Mitridatis, & q
tas præfulſiſſe; Notat tam

Ille

...nes Perſas Magus eſt, qui ſydera nouit,
...ſciat herbarum vires, cultumq; Deorum,
...poli facit iſta Magos, ſapientia triplex.

...ò Magis ad conoſcendum per eam ſtellam Regē Iudæo-
...ater natum, profuiſſe prænotionem Veterum Oraculo-
...n modo *Sibyllæ Samiæ* de Meſſia Vaticinantis: *Humano,*
...irgo ſinu inuiolata fouebit; Annuit hoc Cælum, rutilantia
...monſtrant; non ſolum *Erythreæ Sibyllæ* lib.8. Orac.canen-
...uinamq; Magi ſtellam coluere recentem &c. ſi tamen horum
...ia ad eos peruenit, ſed etiam vel vnicè, vel ſaltem præcipuè
...qui illius Balaami Prophetia, qui numer. cap.24. dixerat iam
...è 1500. & amplius annos, *Videbo eum, ſed non modo, intuebor*
...m, ſed non propè, orietur ſtella ex Iacob, & conſurget Virga
Iſrael &c. quæ Prophetia deriuata, vel in ſcriptis Volumini-
...is, vel traditione ad Poſteros, & ſucceſſores Balaami, qui in
...abæa, vel Arabia, vel Meſopotamia, vel Perſide [ſunt.n. con-
...erminæ ſibi Regiones illæ, & ex illis Magi profecti dicuntur paſ-
...im à Patribus, ac diuinæ Paginæ Interpretibus] degebant; tan
dem vbi venit plenitudo temporis, & orta eſt ſtella ex Iacob, ideſt
Sacratiſſima Virgo Maria, & ex ea *Chriſtus*, qui allegoricè per
eam ſtellam ſignificabatur, ſed ad litteram apparuit ſtella illa in
Oriente, tanta certitudine viſa eſt eſſe illa, quam prædixerat
Balaam, vt tamquam de re apud Iudæos notiſſima dixerint; *Vbi
eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum, Vidimus enim ſtellam eius in Or-
inte &c.* Percuſſos autem eſſe Magos ad hanc notitiam à Vaticinio
Balaami docent *S.S. Patres Baſilius, Cyprianus, Chryſoſtomus,
Ambroſius, Auguſtinus,* & præſertim *D. P. Chryſologus* ſer. 156.
inquiens, *non curioſitate Chaldæa, non arte Magica, ſed Iudai-
ca Prophetia &c.* eſto enim remotè diſpoſiti eſſent ad iudicandum
per illam ſtellam Magnum aliquod præſagiri, non tamen ex Ge-
nethliacorum Regulis diuinare poterant quidnam illa certò, ac
determinatè ſignificaret. Vndè tertiò potentiſſima cauſa, quæ
Magorum intellectui manifeſtauit, quid ſtella illa certò porten-

 deret,

deret, & eorum voluntatem fortiter, & ſuauiter impulit ad iter ſuſcipiendum, & inquirenda Nati Redemptoris Incunabula fuit abſq; dubio diuinæ illuſtrationis Radius, & Sanctæ Inſpirationis Ardor, vt ex Patribus, & communi Theologorum ſenſu liquet, dicente inter alios *S. Leone Papa* ſer. 3. de Epiph. *Agente hoc ſine dubio in eorum cordibus inſpiratione diuina, vt eos tantæ Viſionis Myſterium non lateret, & quod oculis oſtendebatur inſolitum, animis non eſſet obſcurum.*

Opponunt quartò deberet aſſignari, vbi nam Magi primò ſtellã viderint, ſuprà Iudæam ne, an ſuprà locum, vbi ipſi degebant? & ratio dubitandi eſt, quia *Gloſſa Ordinaria*, & *S. Anſelmus* ſub Iudice litem relinquunt, & vtrumq; veriſimile putat *Barradius* tom. 1. lib. 9. cap. 9. in Euang. Propriori opinione ſtare videtur prophetia Balaami; *Orietur ſtella ex Iacob &c.* quaſi diceret, ex Domo Iacob, hoc eſt ex ipſa Iudæa, ſtella in Orientẽ veniet, quod innuit verſio *Pagnini* dicens: *Inceſſit ſtella ex Iacob*; Hinc *Procopius* agens de Prophetia Balaami ait; *cum viderent inſolitam ſtellam perpendiculariter ſuprà Iudæam ſtare immotam*: & ne repugare videatur S. Euangelij textus, in quo dicitur: *vidimus ſtellam eius in Oriente &c.* præſtò eſt *Haymonis* Interpretatio ſer. 3. de Epiph. dicentis: *Nos in Oriente poſiti vidimus ſtellam eius in Occidente fulgentem contrà Hieroſolymam*; quæ ità concilianda duxit *Barradius*, & *Cornelius à Lapide*, vt ſtella primùm viſa ſit ſuprà Iudæam, & oppidum Bethleem, ſed indè celeri motu euolarit in Orientem, ſteteritq; ſuprà locum Magorum, donec eos ad iter verſus Iudæam capiendum permouerit. Verùm opponit *Abulenſis* in cap. 2. Matth. quæſt. 18. cum enim Iudæa diſtaret à loco Magorum 13. dierum itinere, hoc eſt, milliaribus circiter 400. ſi ſtella eſſet Telluri vicina, non poterat ob ipſius Terræ tumorẽ, ac ſphæricitatem videri; ſi verò erat ſublimior, non poterat certum deſignare locum, cum non magis ſuprà Iudæam, quàm ſuprà finitimas alias Regiones pendere viſa fuiſſet, adeoq; concludit, viſam ipſis ſtellam primò ſuprà illorum caput pendentem, & po-

ſtea

ſtea illos in Iudæam direxiſſe; ſi tamen ex editioris montis ſpecula ſtellam primò vidiſſent, potuerunt illam quamuis Telluri vicinã ſpectare, aut certè ſatis erat, vt præter propter illis Regionem indicaret, verſus quam pergendum erat, cum poſtea illis præceſſura eſſet, & quaſi digito demonſtratura locum Pueri nati, vt loquitur *Peluſiota* lib. 1. Epiſt. ad Olymp. 378. & hæc de ſtella Magorum dixiſſe, vel etiam non inutile parergon adieciſſe ſufficiat occaſione maximæ coniunctionis Saturni, & Iouis, à qua ſtellam hanc fuiſſe genitam nonnulli perperam cenſuerunt &c.

CONCLVSIO QVINTA.

N*Vllam ex Magnis, Maioribus, aut Maximis coniunctionibus, trium ſuperiorum Planetarum ſignificauit*, [*nedum efficienter cauſauit*,] *Natiuitatem, Prædicationem, Miracula, aut Paſſionem, & Mortem Chriſti Redemptoris*; Eſt cõmunis, & certa Theologorum, & Patrum, quin, & celebriorum Aſtronomorum contrà plures non Aſtrologos ſed Aſtrologaſtros, & præcipuè contrà *Petrum Alliacenſem S. R. E. Cardinalem* virum alioquin in Theologicis, & Aſtronomicis præclarum, at Arabum nugamentis nimis addictũ, qui floruit, & claruit in Cõcilio Cõſtantienſi anno Chriſti 1416. Hic igitur q. 30. in Geneſ. & lib. de Legibus, & Sectis affirmat, Magos, qui Chriſtum in Præſepio iacentem adoratũ venerunt, vt potè Aſtrologiæ excellentiſſimos potuiſſe, ex poſitu ſyderum prænoſcere futuram Chriſti Natiuitatem, Vitam, & Mortem, non tamen ea certitudine, qua poſtea ortum eiuſdem *ſtella noua* præmonſtrante cognouerunt; Nam, & ſi, inquit ille, Chriſti Conceptio, & Natiuitas, omnes cælorum vires, omneſq, Naturæ facultates in pleriſq; ſuperent; In aliquibus tamen, naturæ Orbium, & Aſtrorum, tamquam Ancillæ Domino ſuo famulantes, amica lumina, & benignos influxus, quos à Chriſto Deo acceperant, eidem naſcenti longè ſuppeditantes regeſſerunt; proindè poſſibile, ait, fuiſſe Magis, præter ſtellæ apparitionem

… Religione, Im-
… ex magna coniunctio-
… um 6 in ſigno Cancri
… principio Arietis] co-
… temporum Aſtrologis ma-
… *Secundum* verò ex ob-
… ipſa Chriſti Natiuitas ha-
… *Octauij Auguſti* octauo Ka-
… fuitq; in ea *Horoſcopus pars*
… onis mutationem ſignificat,
… ous, *imum* Cœli tenente So-
… diſpoſitis. Ità prorſus Allia-
… ſtellarum conſtitutionem, cum
… onti Hieroſolymitano accomo-
… 24. Decembris hor. 10, 4. ſeù hor.
… Quam *Lucas Guaricus* tranſtulit in
… ectiorem, quam reperiatur apud
… ſterismi, & Notæ proſtant in adie-

Thema

Thema Natalitium Chriſti ex Petro Alliacenſi S.R.Ec. Cardinali correctum à Luca Gaurico.

Ordo Domorum.	Initia Domorũ Sign.	Grad.	Min.	Planetarum Loca Sign.	Grad.	Min.	Domus Planetarum.	
1	Virgo	3	40	Sol Iupp.	2	46	Sol	4
2	Libra	7	25	Luna Taur.	2	2	Luna	9
3	Aquar.	2	0	No.B. Sa.L.	9	2	Nod.Bor.	4
4	Sagitt.	5	48	No.A.L.G.	9	1	Nod.Auſt.	10
5	Capric.	10	52	Sat.R.Iup.	14	10	Saturn.	10
6	Aquar.	11	53	Iupp.Libra	7	41	Iupp.	2
7	Piſces	7	40	Mars Ar.	10	22	Mars	8
8	Aries	3	25	Venus Aq.	8	43	Venus	6
9	Taurus	2	0					
10	Gemini	5	48	Merc.Cap.	2	50	Mercur.	4
11	Cancer	10	52	Pars Fort.	17	39	Pars Fort.	9
12	Leo	11	53					

Gauricus etiam Natalitiũ Chriſti Thema delineauit,ſed valdè ab *Alliacenſi* diſcrepat; cum primæ Domus cuſpidem ponat non grad. 8. Virginis, ſed grad. 2. Libræ, & partem fortunæ non grad. 7. ſed grad. 2. Tauri &c. Verum.

Probatur primò Concluſio, & argumentum deſumitur à Diuinitate Chriſti,adeoq; ab independentia ipſius à Stellis, ſiuè fixis, ſiuè errantibus, earumq; aſpectibus, & reliquis omnibus creaturis. Hoc ipſo.n. quod erat Deus, & Creator omnium syderum, certè non poterat vlla syderum configuratio, eſſe cauſa influens in illam *Perſonam* ex vtraq; natura ſcilicet diuina, & humana con-

conſtantem, neq; eius operationes, quas Theologi vocant *Theandricas*, hoc eſt Diuini humanas ſignificare; quod voluit nobis indicare *S. Auguſtinus* lib. 2. cap. 5. contrà Fauſtum; cum enim dixiſſet; *et nos quidem ſub fato ſtellarum nullius hominis Geneſim ponimus, vt liberum Arbitrium Voluntatis, quò vel benè, vel malè viuitur, propter iuſtum iuditium Dei, ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus*; ſtatim ſubdit; *quantò minus illius temporalem generationem ſub Aſtrorum conditione credimus factam, qui eſt æternus vniuerſorum Creator, & Dominus*. Quia verò vt ait *S. Gregorius* hom. 10. de Epiph. Heretici Priſcillianiſtæ naſci vnũquemq; hominem ſub ſtellarum conſtitutionibus putant: & hoc in adiutorium ſui erroris aſſumunt, quod noua ſtella exijt, cum Dominus in carne apparuit, cuius fuiſſe fatum, eandem, quæ apparuit, ſtellam putant; *ſed ſi Euangelij verba penſamus, quibus de eadem ſtella dicitur; vſque dùm veniens ſtaret ſuprà, vbi erat Puer; dũ non Puer ad ſtellam, ſed ſtella ad Puerum cucurrit; ſi dicit debet, non ſtella fatum Pueri, ſed fatum ſtellæ is, qui apparuit, Puer fuit*; Quod firmatur ex *S. Auguſtino*; qui loco mox citato contrà Priſcillianiſtas, & Aſtrologos docens, fatum nihil eſſe aliud, quam *Verbum ipſum diuinum*, ſummo ingenij acumine ſubdit; *ſi ergo ſunt fata, quæ à fando, ideſt à dicendo appellata ſunt, quoniam Chriſtus Verbum Dei, in quo antequam eſſent, dicta ſunt omnia, nõ conſortium ſyderum fatum Chriſti eſt, ſed fatum etiam ſyderum Chriſtus eſt, qui, & ipſam carnem ſub Cælo creatam, ea voluntate aſſumpſit, qua etiam creauit, ea poteſtate depoſuit, qua etiam syderibus imperauit &c.*

Probatur Secundò dato per impoſſibile, quod ex Regulis Aſtrologicis, poſſet quidpiã de Chriſti Ortu, Vita, Miraculis, Morte præſciri, deberet conſtare de momento ſaltem phyſico, quo Chriſtus natus eſt (vel conceptus), ſed de hoc minimè conſtat, ergo. *Maior* apud Aſtrologos certa eſt; probatur Minor, nam de momẽto dominicæ Natiuitatis quattuor ſunt opiniones; *Prima* docet cũ *S. Anſelmo* in Elucid. Chriſtum natum, vel in medinoctio diei

25.

25. Decembris præcedente, aut paulò poſt medinoctium, vt ſic Dominica Natiuitas ad diem 25. potius, quam 24. pertineret, iuxtà *Caietanum*, *Baronium*, *Suarez*, *& Cornelium à Lapide*; Secunda cum Petro Bleſſenſe ſer. 2. de Natiuitate exponente illud ſap. 18. *cum quietum ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet &c.* aſſerit, natũ eſſe Chriſtũ in cõticinio Noctis, quod eſt poſt Galli cantum, & proximè antè diluculum; ſic enim *conticinium* ſumunt *Macrobius* lib. 1. cap. 3. Saturnal. & *Cenſorinus* de die natali cap. 10. quandò ſcilicet Galli conticeſcunt, & homines quieſcunt; quam opinionem videntur ſequi *Tertullianus* lib. 5. cap. 9. contrà Marcionem, & *S. Auguſtinus* in pſal. 109.

Tertia cum Iſichio apud Baronium ſuſtinet, natum fuiſſe hora 3. poſt mediã noctẽ, ſeù de initio tertię vigiliæ noctis, cuiuſmodi vigilias cuſtodiebant Paſtores, quibus nato iam Domino Angelus apparuit, Lucæ cap. 2.

Quarta cum Athanaſio, *Niceno Epiſcop.* lib. q. q. in S. Scripturam q. 92. inquit, natũ hora ſeptima poſt mediam noctem, cui videtur fauere Antiphona, quam canit Eccleſia in Vigilia Natiuitatis *Cùm ortus fuerit ſol de Cœlo, videbis Regem Regum procedentem à Patre, tamquam ſponſum de Thalamo ſuo.* Eccleſia tamen celebrans tertiam miſſam in Aurora, indicat conſummatum iam tunc eſſe hoc negotiũ, & certum eſt de nocte natum eſſe Chriſtum, vbi .n. *S. Lucas* dixit, & *peperit filium ſuum Primogenitum &c.* mox adiecit; *& Paſtores erant in Regione eadem vigilantes, & cuſtodiebant vigilas noctis N. B. noctis ſuper Gregem ſuum;* ergo incertum eſt Natiuitatis Dominicæ momentum, quod fortè Deus occultum eſſe voluit, vt vel hinc Aſtrologis, Genethliacæ conſtructionis fundamentũ ſubduceretur, & licet probabilius ſit, illam, aut in media nocte, aut poſt mediam noctem, antè ortum ſolis factam, nullatenus autem probabile eſt, factã antè medinoctium; nemo .n. adhæſit *Anaſtaſio Synaitæ* l. 7. Hexameron dicenti, Natum eſſe Chriſtum ad *Veſperam*, niſi pro *Veſpera* intelligat

conſtantem, [illegible] iuxtà illam phra-
dricas, hoc eſt [illegible] *dies vnus*. Cũ igi-
care *S. Aug* [illegible] ; hæc peculiariter
xiſſet ; *et no* [illegible] tio per Alliacenſem
nimus, *vt* [illegible] *Mirandulanus* lib.
viuitur, [illegible] *Virgine* ; id enim ſal-
vindicemus [illegible] in Horizonte Bethle-
tionem ſua [illegible] noctem præcedentem
vniuerſo [illegible] ſupponit *Alliacenſis* Al
rius hom. [illegible] cum tamen ſit ſolum grad.
hominem [illegible]
torium [illegible] prædictionibus, non poteſt ex-
nus in ca [illegible] purè naturalium, cùm
ſtellam [illegible] ſed Chriſtus Dominus mul-
ſtellæ [illegible] Apicem ſupernaturalitatis,
non Pu [illegible] deindè *Conceptionem ex Virgi-*
non ſtel [illegible] bus adde vitam miraculis pro-
Quod [illegible] orum illuſtratam &c. ergo præ-
ſcilli [illegible], quæ ſexennio etiam Chriſti or-
Verb [illegible] em Natiuitatem, Vitam, Mira-
ſum [illegible] agire &c.
Chr [illegible]
con [illegible]

[illegible] SIO SEXTA.

[illegible] *imis trium ſuperiorum Planetarum*
[illegible] *ducere, vel ſignificare Cataclyſmũ*
[illegible] *1656. iuxtà Hebraicam, & lati-*
[illegible] *2242, vel 2256. iuxtà 70. Inter*
[illegible] *editam iuſtu SixtiV. Pontificis;*
[illegible] *ium extitiſſe Anno Mundi 2272.*
[illegible] *Chronologos. Eſt contrà Beroſum Cal*
[illegible] retulit in coniunctionem Saturni,
[illegible] Tum *Petrum Alliacenſem*, qui idem
dilu-

diluuium adſcribit maximæ eorundem Planetarum coniunctioni, ſed in Cancro celebratæ, quæ deliramenta, vt refellantur.

Notandum eſt primò quoſdam ſtultam *Beroſi* impietatem ſectatos affirmaſſe, Noemum ex syderum contemplatione futurum totius Mundi diluuium præuidiſſe, ad quod euadendum, Nauem ſibi in Arcæ ſimilitudinem conſtruxiſſe, cuius porrò Nauis imaginem in *Naui Argos* in Cælis emicante ſuſpexerit, & tamquam Ideam, & exemplar ſibi adimitandum propoſuerit. Alij poſtea non minus fabulosè, quam flagitiosè cum *Henrico Mechlinienſi* Alberti M. diſcipulo in Comment. in Mag. *Albumaſaris* coniunc. editis exiſtimauerunt, antè diluuiũ Noeticum magnam Saturni, & Iouis coniunctionem præceſſiſſe, non in Capricorno, vt aſſerit *Beroſus*, ſed in fine Cancro, e Regione *Nauis Argolicæ* Noeticam Arcam ſignificantis, vt ſomniauit Alliacenſis; quæ pronunciata, adeò leuia ſunt, & falſa, vt deridenda ſint potius, quam longo refellenda ſermone. Hinc

Notandum Secundò mirum eſſe, *Gulielmum* Pariſienſem Epiſcopum virum aliàs ſcientiarum gloria celeberrimum, in hunc incidiſſe errorẽ, & Moyſis verba de apertis Cœli Cataractis. Gen. 7. interpretatũ eſſe de illis Syzygijs, & Aſpectibus, quos Aſtrologi vocant *Portarum Apertiones*, & qualia ſunt sydera aquatica pluuiam adducentia; putà *Cancer*, *Piſces*, *Orion*, *Pleiades* &c. quæ omnia ad diluuium efficiendum concurriſſe idem Author eſt opinatus; in prædicti autem erroris fulcimentũ *Petrus Alliacenſis* q. q. in Geneſ. & lib. *de Concordia Aſtrologiæ*, & *Theologiæ* cap. 1. ſubiectam delineauit figuram, de magna Saturni, & Iouis coniunctione diluuium Noeticum ſignificante, in qua Saturnum cum Ioue in grad. 5. Cancri in 4. domo coniungit.

Thema Cæleſte Coniunctionis M. Saturni, & Iouis Diluuium Noeticum ex mente Alliacenſis ſignificantis.

Ordo Domorum	Initia Domorum Sign.	Grad.	Min.	Domus Planetarum
1	Aries 1	0	0	
2	Taur. 4	0	0	
3	Gem. 3	0	0	
4	Can. 1	0	0	Satur. 5. 0. Iupp. 5. 0.
5	Cãc. 29	0	0	
6	Leo 29	0	0	
7	Libra 10	0	0	
8	Scor. 4	0	0	
9	Sagi. 3	0	0	
10	Cap. 1	0	0	
11	Cap. 29	0	0	
12	Aqu. 29	0	0	

Notandum Tertiò ſupponi *ab Alliacenſe* prædictam Saturni, & Iouis coniunctionem in grad. 5. Cancri celebratam ex ſententia *Aomar* præceſſiſſe diluuium annis 279. vel ex mente *Albumaſaris* annis 287. cuius opinionem non amplectitur *Alliacenſis*, ſed potius adhæret *Aomar* aſſerenti præceſſiſſe annis 279. cum diebus 248. & horis 8. *Picus* verò *Mirandulanus* redarguens hæc tempora, cenſet præfatam coniunctionem anteceſſiſſe cataclyſmum Noeticum annis 1082. vndè concludit eã ad tam longinqua Tẽporum interualla ſuas extendere vires, ſi quas tamen habuit, minimè potuiſſe. Rurſus animaduertit Alliacenſis eodem anno, quo coniunctio hæc magna in *Cancri* grad. 5. facta eſt, eandem fuiſſe

fuiſſe replicatam in grad. 4. *Leonis*, ac demum in grad. 28. *Cancri* renouatam, videlicet propter ſtationes, & retrogreſſiones Planetarum; quarè ex natura ipſius coniunctionis, & ex eiuſdem replicatione colligit vim conſtellationis diluuium influentis, illorumq; redarguit opinationem, qui maximam Saturni, & Iouis coniunctionem duobus ferè annis antè diluuium fuiſſe celebratā, aſſeruerunt. His poſitis;

Probatur primò noſtra concluſio; dato, & non conceſſo, quod iuxtà mentem Aſtrologorum, liceret ex aliqua Saturni, & Iouis coniunctione, Noeticum, & Vniuerſale totius Mundi diluuium præſcire; deberet certò conſtare, tum de anno Mundi, in quo diluuium contigit; tum de ſigno, graduq; Zodiaci, in quo Planetæ conuenerunt; atqui de his minimè conſtat; ergo &c. *Maior* patet, & primò quo ad primam partem; poſſet .n. fortaſſe quis aſſignare pro cauſa, vel ſigno diluuij coniunctionem, quæ multis annorum, non Luſtris tantum, aut Decadibus, ſed etiam centurijs ipſam præceſſerit, vel ſubſequuta ſit: cauſa verò ab effectu producto, & ſignum naturale Prognoſticum ab euen tu ſignificato non poteſt, nec debet tam longo temporum interuallo diſtare; deinde quo ad ſecundam partem maioris: poſſet fortè aſſignari pro cauſa, vel ſigno diluuij coniunctio in vno trigono celebrata, cum in alio celebratam, vel celebrandam aſſignare oportuiſſet, adeòq; ſignum foret nimis æquiuocum; quare probatur *Minor*; nam ex dictis ſuprà i concluſione ſecundum 70. Interpretes diluuium contigit anno Mundi 2242. vel 2256. & ſecundum Hæbraicam, & Latinam Editionem vulgatam euenit anno 1656. deinde coniunctio Saturni, & Iouis diluuium ſignificans, iuxtà *Alliacenſem* ponitur *in Cancro*, iuxtà *Beroſum* in Capricorno, nempè ſignis diametraliter oppoſitis, ſed neutra ex allatis ſententijs, ſiuè quo ad tempus diluuij, ſiue quo ad locum ſyzygiæ demonſtratur, aut vera, aut falſa, quod tamen fieri oporteret, ergo &c.

Pro-

Probatur ſecundò ex datis ab *Alliacenſe* contrà *Alliacenſem*, qui diluuium ponit anno mundi 1656. Saturni autem, & Iouis coniunctionem anno mundi 1377. celebratam, adeòq; diluuio præuiam annis 279. ſed omninò impoſſibile eſt, talem coniunctionem, (dato etiam, & non conceſſo, quod aliqua polleret Energia Cataclyſmi inductiua) ad tam longinqua tempora ſuas qualeſcumq; aut quantaſcumq; vires extendere potuiſſe, quia, vt rectè *Picus* aduertit lib. 5. cap. 6. *Potentis cauſæ, & efficacis non eſt ſerò incipere quod eſt factura, ſed ſerò quidem deſinere; incipere aut ſtatim, aut citò; Quarè iſtarum coniunctionum virtus vel eſt efficax, vel imbecilla: ſi efficax, non poteſt diù ceſſare, vt non faciat; Si imbecilla, non poteſt diù durare, vt ſerò quidem, ſed tamen aliquandò faciat; domat vis magna, quod prohibet, & reluctatur ipſi; euaneſcit infirma, & ſuâ ſe ipſam tractu temporis longiori, tenuitate diſſoluit; Quid quòd in hac temporum intercapedine ſuperueniunt nouæ ſemper coniunctiones, quarum natura eſt, vt & ipſi dicunt,* [ſcilicet Aſtrologi] *obliterare priores, cum ſuperueniens conſtellatio, elidat præcedentem*; ergo &c.

Probatur tertiò Noeticum diluuium, quod vniuerſam operuit Terram, vt Aqua editiſſimos montium vertices 15. Cubitis exceſſerit, vt habetur Geneſ. 7. à Diuina Omnipotentia ſupernaturaliter operante inductum eſt; ergo à coniunctione Planetarũ ſiuè in Cancro, ſiuè in Capricorno facta, vt potè cauſa purè naturali, ſi tamen cauſæ nomen meretur, nequaquam induci potuit. Conſequentia eſt euidens; probatur *antec.* ex multiplici capite, & *primò* quidem ex *omnibus Fontibus Abyſſi Magnæ* diſſectis, ac diffractis, Geneſ. 7. eſt autem *Abyſſus* Magna Aquarum Vorago ſub Terra deliteſcens, iuxtà *S. S. Hieronymum: Io: Damaſcenum, Bernardum, Iſidorum, Thomam Aquinatem, cum Platone, Philone, Plinio, Valleſio, & alijs,* apud Conimbricenſes tract. 9. in Meteora; at quod huiuſmodi Aquarum Scaturigo, in Telluris ſuperficiem, Aere in eorum locum ſubeunte, ſe ſe tam largiter effuderit, nulli cauſæ purè naturali poteſt adſcribi. *Secundò, ex apertis Cæli*

Cata-

Cataractis, ſiuè iuxtà Verſionem Hebraicam, *ex reſeratis Cœli Feneſtris*; ſunt autem Cataractæ Cæli per Synecdochen Aquæ ſupercæleſtes iuxtà ſententiam Magiſtri in pſal. 103. *Caſſiodori*, *Riccardi*, *Haimonis*, *Luſitani*, *Oleaſtri*, *Eugubini*, *Theophili Antiocheni libro* 1. ad *Autolicum*, *Ioſephi* lib. 1. cap. 1. Antiquit. *imò*, *& S.S. Epiphany ad Io: Epiſcop. & Cyrilli Catech.* 9. Vndè ſicut, ex *Abyſſo Magna* hoc eſſe Inferno, vbi iuxtà *Cartuſianum*, *Scotum*, *Lyranum*, *Durandum*, *Paludanum*, *& S.S. Auguſtinum*, *Gregoriũ*, *Thomam*, alioſq; apud *Pinedam* in Iob. cap. 24. Aquæ gelidiſſimæ coercentur ad perpetuum Damnatorum cruciamentum, copioſę eruperunt Aquæ, quæ cæleſtibus coniunctæ ad delendas mortalium ſordes, ad extinguendas libidinum flammas per Cataclyſmum confluxerint; ſed Deus, licet cauſas naturales tamquam ſuę Omnipotentiæ pediſſequas, & iuſtitiæ Vindicis Adminiſtras, ad diluuium inducendum adhibuerit, non tamen ſinè ſupernaturali actione, Aquas Infernas, & Cæleſtes potuit adhibere. *Tertiò ex ipſa anni tempeſtate*, qua diluuium Terras inuaſit, & perdidit, nempè anno 600. Vitæ Noemi, menſe 2. (non illius anni ætatis Noè, vt exponit Pererius) ſed illius anni currentis 1656. vt alij paſſim cum *Beda* interpretantur nempè menſe Aprili, vel Maio, iuxtà eorum ſententiam, qui Mundum Verno Tempore creatum putant, ergo, inquit *Beda*, cum diluuium cæperit ferè ęſtiuo tempore, & hyberno ceſſauerit; Vtraq; ſcilicet tempeſtate, tam producendo, quam abolendo diluuio, contraria, manifeſtè colligitur, non ex cauſis naturalibus, purè naturaliter operantibus, ſed ex Dei Omnipotentia ſupernaturaliter mortalium ſcelera vindicante, fuiſſe productum; prætcrquam quòd, cum fuerit vniuerſale pro tota Terra, non potuit naturaliter contingere, vt deducitur ex Ariſtotele lib. 1. Meteor. cap. vlt. ergò Planetarũ Syzygię &c.

Probatur quartò Si à præuijs ſyderum errantium coniunctionibus in Cancro, vel Capricorno, aliouè Zodiaci ſigno celebratis, diluuium fuiſſet indicatum, vtiq; veriſimile eſt, quod alij præter Noemum, eas obſeruando Syzygias, vna cum Noemo diluuium

præſciſſent, & Orbis Vniuerſi Naufragium extimuiſſent; Immò cùm Homines illius temporis, ſacra referente ſcriptura, futurum non crederent diluuiũ, & Noè illud prædicentem ſubſannarent; potuiſſet, ac debuiſſet Noemus efficaciam, ſi qua eſt, huiuſmodi coniunctionum incredulos mortales edocere, vt ſic impendentis Eluuionis veritate certò præcognitâ, ad ſaniora tandem conſilia conuerterentur, quę cum minimè Nohemus pręſtitiſſe legatur, neceſſariò videtur poſſe concludi, à Planetarum præfatis coniunctionibus diluuium non dependiſſe &c.

Probatur quintò ad hominem: quia ſi Iouis, & Saturni coniunctio Annis 279. vt vult *Alliacenſis* diluuio præceſſit; ſequitur, totius Mundi ſubmerſionem contigiſſe in medio *Triplicitatis Igneæ*, ad quam iuxtà *Pici* ſuputationem Iuppiter, & Saturnus Annis antè diluuium 149. commigrauerunt, & in ea poſt diluuium annis ferè 120. permanſerunt; ſed eſt prorſus inveriſimile, Planetas in *Triplicitate Ignea*, copulatos produxiſſe anno Mundi 1656. totius orbis inundationem; immò ſi in *Trigono Igneo* coniuncti non producunt Orbis incendium, nempè effectũ taliſigno, & Planetis conformẽ; quo pacto in *Triplicitate Aquea* copulati different per annos 279. producere Cataclyſmum, & quidem eo tempore, quo idem Cataclyſmus debuiſſet à ſignis Igneis iuxtà ipſamet Aſtrologorum pronunciata pènitus impediri, ergo &c.

Probatur Sextò Animaduertit *Alliacenſis*, quod eodem anno, quo prædicta Iouis, & Saturni coniunctio accidit in Cancro, repetita fuerit in 4. grad. Leonis, ac deindè in grad. 28. Cancri renouata, vndè ex Natura, & replicatione ſyzygiæ magnam vim conſtellationis diluuium adducentis colligit. At planè abſurdũ, & improbabile eſt, ex coniunctione in ſignis contrariæ affectionis, cuiuſmodi ſunt Cancer, & Leo celebrata, potuiſſe eundem effectum præſagiri, aut ſaltem corroborationem afferri; immò penſiculatius aduertendum eſt, rem omninò incredibilem, & regulis ipſis Aſtronomorum repugnantem videri, quod *Aqueus Ca-*

ta

taclyſmus indicatus fuerit ex mentè Alliacenſis eodem prorſus modo, quo ex mente *Beroſi Igneus* præſagitur, hoc eſt, ex eadem Planetarum coniunctione in Cancro celebrata; ergo delirant Aſtrologi.

Probatur Septimò Demus *Alliacenſi* toties decantatam Planetarum coniunctionem in annis, & ſignis ab eodem ſuppoſitis cōtigiſſe, nihilhominus non erat illius Roboris, ac Euergiæ, vt Vniuerſale Mundi Nufragium ex Regulis ipſis Aſtromantiæ portenderet; nam Aſtrologi famoſiores buccis inflatis ad rauim vſq; clamitant, inſignem adeò effectum præſtari dumtaxat poſſe ab ea *maxima coniunctione*, quæ in *Trigono Igneo*, & in capite Arietis (Mundum ſcilicet cornibus ad inſtar Pilæ, extrà Mundum ipſum eiaculantis) celebratur. Sed hæc coniunctio facta eſt in *Trigono Aqueo*, & in ſigno Cancri iuxtà *Alliacenſem*, quæ id circò non *maxima*, ſed *media*, vel *mediocris*, & *minor* appellatur. Adde talem coniunctionem pluries in eodem ſigno poſt diluuium repetitam, vt concedit idem *Alliacenſis* in ſuo *Elucidario*, ergò ſicut alteriùs diluuij ſignum non præbuit, ità nec Nohetici. Quòd ſi reponat, diluuio rurſus Orbem non iri perditum, ex fædere ſcilicet Deum inter, & Nohemum ſancito iuxtà illud Geneſ. 9. *Ponam arcum meum in Nubibus Cœli, vt ſit ſignum inter me, & inter Terram &c.* Iam ſuis ſe ſe confodiunt gladijs Aſtrologi; ſicut enim antè annum Mundi 1656. nullũ fuit, nec poſteà fuit, aut erit Vniuerſale diluuium Deo ſic volente, manifeſtè conuincitur, quando diluuium contigit, id à Diuina Iuſtitia ſuprà ordinem Naturæ mortalium ſcelera liberrimè vindicante, non autem à Planetarum ſyzygijs effluxiſſe.

Probatur Octauo tandem detur *Alliacenſi*, quod Iouis, & Saturni coniunctio, in Cancro, & quarta domo Figuræ ab ipſo erectæ celebrata diluuium præindicarit; ecce tibi euidens repugnantia cum Aſtrologicis Pronunciatis, quibus ſtatutum eſt, Saturnum quidem in quarta domo, non in proprio domicilio, ſeù *Exaltatione*, ſed in Cancro, ſuo *detrimento*, ac *depreſſione* peri-

cula interminari Terræ, ſeminibus, Ædificijs, & bonorum diſſipationẽ præſeferre, qualia fortaſſe cum diluuio Vniuerſali concordant. Verùm collocatio Iouis in eadem quarta domo, in *Angulo*, & in *Cancro*, ſua *Exaltatione* vtilitatem ex Terra, & ſecuritatem à terroribus pollicetur. Ergo ſi Saturnus in quarta domo ex vna parte minatur infortunia diluuij; ex altera Iuppiter in eadem domo, & in Cancro poſitus calamitates imminuit; & felicitates prorſus adducit. Præterea licet Saturnus in Cancro, Lunæ domo ægritudines, & citam portendat Mortem, qualis humano Generi [ſed poſt annos 279.] per diluuium contigit, attamen Iuppiter in eadem Lunæ domo, *partiliter* Saturno copulatus fortunas, diuitias, & ſanitatem Mundo impertitur, ergò ſi Saturnus in hac figura Mundum vt ſic loquar, deſtruit, Iuppiter conſtruit. Adde ab *Alliacenſi* in ſuo ſchemate, aliorum Planetarum aſpectus in cæteris domibus ſtudioſè prætermiſſos, quia ex ipſorum poſitu tota vis coniunctionis fortaſſe fuiſſet, vel penitus extincta, vel ſaltem hebetata; illud enim incommodum, quod huiuſmodi copula præſagiebat ſolitarie accepta, cum fauſtis reliquorum Planetarum aſpectibus, vel eorumdem poſitu in cæteris domicilijs conſiderata, ſuſtuliſſet. Quin tacitus non præteribo, Arietem in hoc Themate horoſcopantem, eſſe diurnam Martis domum, quique idcirco poteſt eiuſdem Figuræ *Dominator* æſtimari, à cuius dominatu liquet, præſagiri non *Aqueum*, ſed *Igneum* potius Cataclyſmum, ſpectatâ ſcilicet naturâ Martis calidi, & ſicci. Quod ſi velint, Iouem eſſe figuræ Dominum, in ſua nẽpe collocatum exaltatione, multò minus à Iouis felici genio calamitoſum adeò portenditur infortunium, ergo quocumque ſe vertat *Alliacenſis* in ſui Thematis conſtructione, nugas loquitur, & affanias obtrudit.

Oppones primò. Præter Noeticũ diluuium alia etiam fuerunt ex cauſis merè naturalibus, & nullo intercedente miraculo diluuia, ergo diluuium quoque Noeticum ex cauſis merè naturalibus Diuinæ Omnipotentiæ, vt cauſam primam decet, naturaliter agen-

ti

ti ſubancillantibus inductum eſt. Prob. Antec. ex Chornographis; nam primò; antè Noeticum ex *Genebrardo* tempore *Enos* circa Annum Mundi 325. adeò enormiter Oceanus exundauit, vt tertiam ferè partem Telluris operuerit 2. Poſt Noeticum anno Mũdi 2163. Stagnante Nilo tota pene Ægijptus ſubmerſa eſt ſub Prometheo, & Hercule Ægyptio, quod diluuium integro tantũ menſe durauit 3. Annis inde 44. elapſis Attica Regio teſte *Euſebio* per duos menſes aquis obruta eſt, & vſque adeò deuaſtata, vt per annos 200. vſque ad Cecropem ſine Rege, & penè inculta permanſerit, cuius inundationis apud Gręcos celeberrimę mentionem faciunt *Diodorus* in 6. & *Pauſanias* in Atticis, qui addit, Athęnis prope Iouis Olympij Templum extitiſſe telluris hiatum, in quem poſt Deucalionis eluuionem aquas defluxiſſe memorabant, ſed hallucinatur *Pauſanias* Deucalioneum cum Attico diluuio confundens 4. ſub Deucalione ad annum Mundi 2438. Theſſaliam totam aquæ obruerunt, vi Terræmotus obſtruente vallem, per quam Peneùs fluuius in mare exoneratur, vnde Regio montibus obuallata ad ſimilitudinem Amphitheatri in lacum euaſit; & hoc diluuium, quod tres tantum menſes deſæuijt, Græci, Latinique Poetæ pro Noetico accipiunt, *Nohemum à Deucalione* non diſtinguentes 5. Diluuium Pharaonicum à loco ſic dictum cõtigit in inferiori Ægypto circà Troiana tempora nempè circà annum Mundi 2780. ſub *Protheo* ſacerdote, qui teſte *Herodoto* Helenã Menelao ſeruauit 6. Alias inſignes aquarum exundationes, & Prouinciarum integrarum ſubmerſiones dabit *Ricciolius* in Chronolog. tom. vlt. in indice, v, *diluuium*, *&* *innndationes*; ſed hæc omnia diluuia fuerunt naturalia, ergo & Noeticum.

Reſpondeo diſtinguendo Antec. fuere alia diluuia *Vniuerſalia*, quæ totum telluris globum adinſtar Noetici operuerint, nego antec. fuere dumtaxat *Particularia* pro aliqua Prouincia, vel Regno, tranſeat antec. Ad cuius Probationem, dato antecedente tranſmitto primam, & nego ſecundam conſequentiam. Dixi *tranſmitto antec.* quia in nonnullis quarumdam Prouinciarum

 allu-

alluuionibus, non eſt improbabile, miraculum aliquod Diuinæ Iuſtitiæ grauiora Populorum crimina punientis interceſſiſſe.

Oppones Secundò conſtat globum terreſtrem in varias intrinſecis diſſectum eſſe cauernas, & ſpecus aquis abundè repletas, quas diuina ſcriptura Genes.7. *Fontes Abyſſi magnæ*; Orpheus, & Plato Tartarum, & Barathrum vocant; quin famoſiores *Ethnicorum* Theologi ſecretiora naturæ arcana ſymbolis exprimentes, vt diſputat *Porphyrius* lib. de Antro Nympharum, Mundum per *antra*, & *ſpecus Hypogeos* ſignificarunt. Quod ſi non facile credas *Minoritiæ Oxonienſi* ſub Polo Artico voragine illā ingentem adſtruenti, quò confluentes vndique ab remotiſſimis Orbis partibus marini fluctus per quattuor Euripos in Abyſſum ſorbeantur; certè tum Maris alicubi vaſta profunditas per nullam vmquam explorata bolidem, tum horrendi Terræmotus, quibus ſępè diſſilit humus, & interceptas profundis faucibus vrbes deuorat, planè ſuadent, intrà viſcera Terræ, & lacus, & flumina cum Oceano pluribus in locis communicantia deliteſcere; ſed hinc tanta potuit aquarum copia naturaliter erumpere, vt Noeticum diluuium crearetur, ergo. *Maior* certa ſupponitur. Probatur *Minor*; quia vt aquæ ex abyſſis, vel tartaro erumpant, nulla eſt opus rarefactione ſupernaturali, ſed ſufficit aer naturaliter immiſſus eaſdē ſuo comprimens, & ſurſū expellens *Elàterio*, non abſimili ratione, qua docemur ex *Heronis Spiritalibus*, alijſque machinis Hydraulicis creari fontes artificiales, ex quibus compreſſi aeris vi aqua cum impetu euibratur, ergo.

Reſpondeo. Data maiore, nego minorem; ad cuius probationem tranſmitto primam, & nego ſecundam partem antecedentis cum paritate ex fontibus artefactis deſumptà; licet enim Aeris pondus alicui Terraqueæ molis portioni incumbens poſſit ſubiectam aquam aliorſum, vbi par aeris pondus non impediat, expellere; nihilhominus cum Noeticum diluuium totam vndique terram ſphæricè operuerit, ac preſſerit, nullum huic alluuioni ſuffragium vis aeris Elaſtica potuit naturaliter ſuppeditare; præ-

ter quamquod ſi aquæ terris incluſæ, & ſurſum aeris Elaterio excluſę diluuium vniuerſale effecerunt, quo pacto verificabitur, diſruptas eſſe Cœli cataractas,& factam eſſe pluuiam 40. diebus & 40. noctibus ſuper terram; & negatur conſequentia. &c.

Oppones Tertiò. Si nomine cataractarum Cœli, quæ ad creandum diluuium dicuntur reſeratæ, veniunt aquæ ſupercœleſtes; cum Cœlum Aqueum à ſuperficie Terræ diſtet ſemidiametris terreſtribus ſaltē 200000, ſeù milliaribus Italicis 1000,000,000, ad tantum ſpatij percurrendum plures annorum centuriæ requiruntur, præterquam quod aſſignari deberet, quònam ſeſe exſiccato diluuio huiuſmodi aquæ receperint, in Tartarum ne deſcenderint, an patrias ſedes iterum aſcenderint?

Reſpondeo, ſi per miraculum è Cęlo deſcenderunt, quid vetat aſſerere denuò per miraculum in Cælum aſcendiſſe? Adde quando ſine vllius miraculi ope debuiſſent aquæ ex reſeratis Cæli cataractis in Terras deſcendere, ad tantum ſpatij percurrendum non centurijs Annorum, ſed nec Hebdomadarum, imò nec dierum indiguiſſent, cum ex alibi dictis cum *Ricciolio* lib. 7. ſect. 6. cap. 5. Almag. Globus ferreus vnius libræ à Firmamento ad Terram per aerem ſemper vniformem non amplius dierum ſex lapſu deſcendat.

CONCLVSIO SEPTIMA.

N*Vlla ex Magnis, aut Maximis Planetarum coniunctionibus ſignificabit, aut efficiet Igneum totius Mundi Cataclyſmū.* Eſt contra *Beroſum*, qui Planetas ſuperiores in Cancro coniungendos extremam totius Orbis conflagrationem producturos ſomniauit, ſicut in Capricorno copulatos diluuium adduxiſſe delirauit. Verum ad tanti erroris redargutionem;

Supponendum eſt primò. Poſt abſolutum extremum Vniuerſale Iudicium, Mundum aliqua tandem ratione innouandum, vt paſſim in ſacris paginis docemur. Iſaiæ cap.65. *Ecce ego creo Cæ-*

los nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria pr
66. *quia ſicut Cæli noui, & terra noua, quæ ego feci ſt*
dicit Dominus, ſic ſtabit ſemen veſtrum, & nomen v
Petri cap. 3. *Nouos verò Cælos, & nouam terram ſecun*
ſa ipſius expectamus, in quibus iuſtitia habitat; & A
11. *Et vidi Cælum nouum, & terram nouam; primum*
& prima terra abijt, & mare iam non eſt. Ratio eſt,
Mundus vtilitati præſertim Electorum continua g
& corruptionum ſerie deſeruiat, neceſſe eſt, vt Præ
nibus in Empyreum receptis, Reprobis verò in Infe
ſublatâ iam generationum omnium, & corrupti
dine alius etiam mundi ſtatus exiſtat, de quo loqu
Rom. cap. 8. *Nam expectatio Creaturæ reuelation*
ficationem) *filiorum Dei expectat, vanitati enim*
mutationi, ac ſucceſſioni) *Creatura ſubiecta eſt*
propter eum qui ſubiecit eam in ſpe, quia & ipſa C
tur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ F

Supponendum ſecundò, prędictam mundi inno
ex parte futuram per ignem conflagrationis ext
tur 2. Petri cap. 3. *Aduenict Dies Domini, vt fu*
gno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluen
& quæ in ipſa ſunt, opera exurentur. Eòdem p
carmina apud S. Auguſtinum lib. 8. cap. 23. de

Tempora torpebunt vidua, omnia ſemi
Aer, Terra, Solum, lux Ignis feruid
Cardo, Dies, Noctes, conſident omni
Et fiet ſpecies quam deſertiſſima reru
Omnia namque cadent lucentia ſydera

Supponendum tertiò. Quamuis teſte *S. Au*
16. de Ciuit. ex diuinis ſcripturis, aut ration
conſtet, qualis, & quantus ignis ille conflagr
futurus, probabilius tamen eſt ex cõmuni S.
logorum ſententia, cum *D. Thoma* in 4. diſ

rum eſſe Elementarem, adeòque eiuſdem cum Noſtrate rationis, & naturæ, cum eaſdem habiturus ſit affectiones, & effectiones, & diuina ſcriptura non aliter de illo, quam de vero, & proprio Igne loquatur, eſto *Lactantius* lib. 7. cap. 21. Inſtit. eum alterius naturæ futurum exiſtimauerit. Quidquid deinde ſit, an huiuſmodi Ignis ſit generandus ex terræ vaporibus, & exhalationibus, diuino accedente imperio, & forte Angelorum miniſterio, præter Solis, reliquorumque ſyderum influentias, vt paſſim Theologi cenſent cum *D. Thoma* l. c.

Supponendum quartò. Licet Mixta omnia ſublunaria, ſiuè quę in terris, ſiuè quæ in aquis, ſiuè quæ in aere tunc temporis inuenientur, per eam conflagrationem ſint deſtruenda, vt S.S. Patres, ac Theologi colligunt ex 2. Petri cap. 3. *Elementa verò calore ſoluentur, & quæ in ipſa ſunt, opera exurentur*; vbi per *Opera*, quæ in terra ſunt, *mixta* omnia intelliguntur, nihilominus communior, & verior ſententia eſt, neque Cælos, neque cætera elementa quoad ſubſtantiam interitura, aut immutanda, (& multo minus annihilanda, alijs deinde nouis per diuinam Omnipotentiam ſuffectis) ſed accidentaliter ſolum perficienda, ſordibuſque deterſis in meliorem formam, ipſorum tamen naturæ congruentem reparanda. Ita docent *S.S. Auguſtinus, Hieronymus, Epiphanius, Gregorius, & alij* cum D.Th. in 4. diſt. 47. & 48.

Probatur iam Concluſio primò. Quoad mundi finem, & interitum ſiuè per Aquæ diluuium, ſiuè per Ignis conflagrationem omnibus cum Catholica Eccleſia, & Euangelica veritate ſentientibus pro Canone eſſe debet certiſſimo illud Chriſti Domini edictum Matth. cap. 24. & Marci 13. *De die autem illa, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in Cælo, neque Filius Hominis, niſi ſolus Pater*; Vbi S. Auguſtinus non acutè minus, quàm ſolidè ait; *Omnium calculantium digitos hæc vna ſententia reſoluit*. At ſi vera eſſet ſententia *Beroſi*, falſa eſſet ſententia *Chriſti*: ſubſumo, ſed ſententia Chriſtri vera eſt, ergo ſententiam Beroſi falſam eſſe oportet. *Probatur* autem ſequela Minoris: cum per ſupputatio-

nes

nes Aſtronomicas phyſicomathematicè conſtare poſſit de tempore magnæ, vel maximæ Planetarum coniunctionis in Cancro; ſi talis coniunctio efficit, vel ſaltem ſignificat totius Orbis exuſtionem, iam conſtat de tempore Iudicij Vniuerſalis, quod prędictam exuſtionem debet immediate præcedere, ergo &c.

Probatur ſecundò. Vniuerſi Orbis per ignis conflagrationem interitus non pauciora, nec minora inuoluit miracula totius naturæ creatæ vires excedentia, quam Noeticum diluuium inuoluerit; ſed ex eo quod Noeticum diluuium non ſine miraculo vindicantis Omnipotentia Creatoris adduxerit, magnæ, aut maximæ coniunctiones ſiuè in Cancro, ſiuè in Capricorno naturaliter celebratæ, non potuerunt illud vel efficere, vel ſignificare; ergo nec extremum totius Orbis excidium per conflagrationem adeò miraculoſam inferendum poterunt vel magnæ, vel maximæ Planetarum ſyzygiæ in vllo Zodiaci ſigno celebrandæ, vel efficere, vel præmonere. *Minor* conſtar ex 6. concl. *Conſequentia* eſt legitima, vnde probatur *Maior*; tum ex communi, & ex certo S.S. Patrum, ac Theologorum ſenſu ex diuinis ſcripturis collecto, tum ex ipſa ignis magnitudine, qui non modò Tellurem, Aquam, & Aerem circumdans permeabit, ſed ad Firmamentum vſque pertingens, cæleſtia ipſa corpora *magno impetu* exuret; tum ex modo conflagrationis, quæ citiſſimè quidem, ſed ſine ſubſtantiali elementorum, cælorumque deſtructione, omnia purgans innouabit, & ad quemdam perfectæ incorruptibilitatis ſtatum traducet, quæ omnia firmari poſſunt ex S. Auguſtino lib. 20. cap.3. de de Ciuit., vbi ſeriem rerum in extremo Iudicio gerendarum deſcribens, hæc habet. *In illo Iudicio, vel circa illud Iudicium has res dedicimus eſſe futuras, Eliam Thesbitem, Fidem Iudeorum, Antichriſtum perſecuturum, Chriſtum venturum, iudicaturum, mortuorum reſurrectionem, bonorum, malorumque direptionem, mundi conflagrationem, eiuſdemque renouationem, quæ omnia quidem ventura eſſe credendum eſt, ſed quibus modis, & quo ordine veniant, magis tunc docebit experientia, quam nunc valet conſequi ad perfe-*

perfectum hominum intelligentia; exiſtimo autèm eo, quo à me commemorata ſunt ordine; eſſe ventura; ergo &c.

Probatur tertiò. Si magna, aut maxima Planetarum ſyzygia in Cancro celebranda totius orbis conflagrationem poteſt vel efficere, vel præſagire, iam totus Mundus conflagraſſet; ſed de facto non conflagrauit, ergo nulla talis coniunctio mundum conflagraturum præmonebit. *Minor* patet, niſi forte ita cum *Democrito* deſipiat *Beroſus*, vt mundum hunc ex infinità Atomorum aggregatione, & diſgregatione ſępius repetita dicat factum, infectum, & refectum. Probatur *Maior*; quia annis ante Chriſtum 3384. 3324. 3265. & 3205. & annis Chriſti 1385. 1444. 1504. & 1564. huiuſmodi coniunctiones in Cancro factæ ſunt. Quod ſi reſpondeat, eas fuiſſe tantum magnas, non maximas, ideòq; mundum non conflagraſſe; contra eſt, quia cum maximæ coniunctiones ſingulis ferè octingentis annis recurrant, quis audeat dicere, ſpatio annorum pluſquam 5000. nullam extitiſſe huiuſmodi Eminentiſſimam coniunctionem in Cancro iuxta mentem *Beroſi*, ergo &c.

Probatur quartò. Si totius Orbis exuſtionem magnæ, vel maximæ Planetarum ſyzygiæ in Cancro factæ futuram practicè ſignificant, vel id colligit *Beroſus* à poſteriori per experientiam, & hoc non; quia mundus numquam conflagrauit; vel à priori per cauſam, & hoc non; quia cum in hoc mortalitatis ſtatu efficacia cauſarum non innoteſcat naturaliter philoſophantibus, niſi per effectuum apparentiam, cumque nullos adhuc effectus, hoc eſt, vniuerſalem Orbis exuſtionem fuerimus experti, ſequitur manifeſtè, vt ſi *Beroſus* non vult vna cum ſuis Aſſeclis perfrictè mentiri, debeat vltrò fateri, ſe ſe huiuſmodi conflagrationis prænotionem ex Prophetia aliqua diuinitus immiſsà hauſiſſe, & mendacium blaſphemia tueri; ergo, vel delirat *Beroſus*, vel peierat, vel vtrumque, quod veriùs crediderim &c.

Probatur quintò ad hominem contra Beroſum, & Aſtrologos vniuerſim; Cancèr ex Aſtromantum fabulamentis, eſt ſignum

Aqueum,

Aqueum, Domicilium, & Exaltatio Iouis; ergo Planetæ in ipſo conſtituti vires ſuas ad mundum excurrendum conſpirantes infirmant potius, quam roborent. Quin cum hæc Orbis exuſtio Marti potiſſimum, quippe ex Aſtrologis, Planetarum omnium feruidiſſimo, irarumque pleniſſimo ſit tribuenda, quænam eſt Martis amicitia cum Cancro, qui eiuſdem Martis ſtatuitur *caſus*, & *detrimentum?* Blaterant quidem Aſtrologi, Cancrum eſſe vnum ex ſignis Triplicitatis Marti attributæ; vnde *Pontanus* lib. 5; cap. 29; ſex gradus Cancri adſcrbit Marti; ſed quemadmodum nullam habet Mars affinitatem cum hiſce Characteriſmis, hoc eſt, cum Trigono aqueo, & humido, Mars, inquam, ſuàptè natura calidus, & ſiccus, adeòque ex regulis Aſtrologicis apparèt contradictio, ita affirmandum eſt, Coniunctionem Martis, cum reliquis Planetis ſuperioribus in Cancro factam, nullas inde ſuppetias, & roboris incrementum relaturam. Neque ritè cum alijs oppones; Martis iras in Cancro per antiperiſtaſim inualeſcere; quia ſcilicet humiditas Cancri tamquam inimica Martis calori, & ſiccitati in cauſa eſt, cur ipsè magis efferueſcat, ſicut hybèrno tèmpore euenit in ventriculis animalium, in quibus propter extèrni frigoris obſidionem calor augetur iuxta Hippocratis effatum: *Ventres hyeme, & verè calidiores*. Sed contra; quia vel loquitur *Beroſus* de Cancro *Rationali*, & inuiſibili, & is, vel cum nihil ſit, vel partes Cœli ætherei penitus homogeneæ, multiſque milliarium myridiabus diſtantes, loginquà nimis obſidione Martem obuallaret, adeòque nec eius iras per antiperiſtaſim intendere poſſet; vel loquitur de ſtellato, & viſibili, & hoc non, tum propter eamdem diſtantiam, tum quia micantiores illæ ſtellæ, quibus ſignum illud diſtinguitur, iracundos Martis intuitus temperarent. Porrò *Beroſus* debebat ſibi cauere à *Melleſi* ſtella Cancri 4. magnitudinis, quæ ex doctrina Aſtrologorum perniciem oculorum portendit, ſi fuerit in *Aſcendente* cum Luminaribus, niſi mallemus dicere, *Aſellos cum Præſepe* in meditullio Cancri collocatos, fuiſſe *Beroſi* horoſcopum, ideòque

que vel in Cœlum rudere tam audacter didiciſſe. *Tandem* ex vulgatiſſimo Aſtromantiæ pronunciato; Syzygiæ vniuerſales, quales ſunt ſignificantes ſuper Prouincias, & Regna, dicuntur habere colligationem, & nexum cum ipſis Prouincijs, ac Mundi Plagis, in quibus debent operari, alioquin vel nihil, vel parum efficiet in eo loco Syzygia Vniuerſalis. Hinc interdum fit, vt Stellæ alicui Prouinciæ, vel Regno verticales, ſigna illi Verticalia, Planetę, ac Domini Triplicitatis pugnent cum vniuerſali coniunctione, adeòque in ea Prouincia, vel Regno vniuerſalis ſyzygiæ vires quàm maximè retundantur: Propterea qui naſcitur V.G. *Parmæ* peculiarem ſuam conſtitutionem, & Thema Genethliacum cum conſtitutione Ciuitatis Parmenſis connexum habet, quia ſtellæ Verticales, ſeu circuli Azimuthales, & altitudo Polaris ſunt eadē ipſi nato *Parmæ*, & Ciuitati Parmenſi; vnde aſſerūt Aſtrologi, in morbis Epidemicis ex conſtellationum aſpectu prouenientibus, illos morbo contagioſo non corripi, qui *Geneſim* habent cum vniuerſali loci conſtellatione, ſeu conſtitutione Aſtrologicà minimè colligatam. Rurſum aduertunt, coniunctionem Saturni, & Iouis, V.G. non reſpicere, aut afficere eodem modo Orientales, & Occidentales, Boreales, & Meridionales Plagas, & Climata, quia diuerſus eſt ipſis Horizon, & Horoſcopus; ergo non poteſt vlla Planetarum coniunctio in omnes Mundi partes eodem prorſus modo influere, ita vt *Cardanus* ipſe quamuis iuratus Aſtromantiæ Patronus iure merito ſtatuat, nullam ſtellarum configurationem poſſe toti Mundo generaliter ſignificare. Quapropter cum plane adynaton ſit, omnes mundi Prouincias, & Regna cum Synodo Planetarum in Cancro celebrata colligationem habere; imò conplures Mundi partes manifeſtam cum tali Synodo repugnantiam ſortiantur, neceſſariò conſequitur etiam ex *datis Aſtrologicis*, ex magnà, vel maximà ſuperiorum Planetarum coniunctione in Cancro celebratà, vel celebrandà, vniuerſalem Orbis Ecpyroſim præſagiri non poſſe.

Oppones primò: *Microcoſmus*, ſeù Paruus Mundus, Homo, (idem dici poteſt de quolibet Animali, & viuente corporeo) quia ex contrarijs inter ſe depugnantibus componitur, tandem fit, vt alterum altero ſuperante compages humana ſoluatur, & *Microcoſmus* naturaliter intereat; ſed etiam *Megacoſmus*, hoc eſt, magnus Mundus ex quattuor Elementis continuam inter ſe pugnam exercentibus coaleſcit; ergo tandem alterum alteri præualente, *Megacoſmus* naturaliter interibit; ſubſumo; ſed ſi vni Elementorum præ alijs Victoria debetur, certè Igni, quippe omnium efficaciſſimo, ergo totius Orbis exuſtio, & interitus poterit per Planetarum ſuperiorum coniunctionem in Cancro factam præſagiri. Totus primus syllogiſmus videtur legitimus, & innegabilis. Probatur ſubſumpta *Minor*, tum quia ſol Igneus iuxta *Campanellam* lib. de ſens. rerum, & Mag. cap. 13. quotidiè magis verſus Terram accedens non poteſt tandem illam non exurere; tum quia *Sirius*, ſeù Canicula, quæ ab aliquibus apud *Pandulphum* tr. de fin. Mund. diſp. Pyth. cap. 4. imò ab omnibus Copernicanis ſole ipſo pluries maior aſſeritur, cum, eò oriente æſtus vehementer vrgeat, canes agantur in rabiem, vina in dolijs ferueant, &c. Videtur, & ipſa prope terram deſcendens toti Mundo allatura incendium; quin alij cum *Firmico* abutentes periodo Sothiacà, hoc eſt, Caniculari annorum 1641. dixerunt, Mundum eà abſolutà per Ecpyroſim à ſirio cauſandam interiturum, ergo &c.

Reſpondeo; diſtinguendo *Maiorem*; quià componitur ex contrarijs inter depugnantibus &c. ita vt ex hac pugnà contrariorum componentium *abſolutè*, *& præcisè* accepta ſine vllo reſpectu ad cauſas extrinſecas, ſequatur alterius victoria; nego *Maiorem*; ita vt ex hac pugna *comparatiuè* intellecta, quattenus ſcilicet ab extrinſeco principio vnum ex contrarijs ſuppetias præ alijs, & ſuprà alia acquirit, concedo *Maiorem*, & diſtinguo minorem; ſed etiam Megacoſmus &c. Ex quattuor Elementis coaleſcit ad æqualitatem ità temperatis, vt nullum alteri per vires ab extrinſeco prinipio naturaliter ſuprà cæterorum energia

nergia

energiam roboratas præualeat, concedo *Minorem*, ſecus nego *Minorem*. Profectò iſtud Elementorum æquilibrium, & Eutaxiam docuit Ariſtoteles lib. de Mundo ad Alexand. cap. 6. his verbis; *Author Naturæ naturas quam maximè contrarias, veluti edictà concordià, adſtrinxit ad conſenſum, mutuumque cōmercium, cuius rei cauſa eſt concordia Elementorum. Concordiæ porrò eſt cauſa æqualitatis, & quod alterum altero non plus pollet; ad æquilibrium enim adæquant grauia cum leuibus, calida cum frigidis, naturà vtique nos docente, in maioribus æqualitatem eſſe tutricem concordiam, ac ſeruatricem*. Cui concinit Boæthius lib. 4. *de Conſol.*

Hæc concordia temperat æquis
Elementa modis, vt pugnantia
Vicibus cedant, humida ſiccis,
Iungantque fidem frigora flammis,
Pendulus Ignis ſurgat in altum,
Terræque graues pondere ſidant.

Ad minorem verò ſubſumptam, nego antecedens; ad cuius probationem nego contrà *Campanellam*, ſolem infrà definitum ab Aſtronomis Perigæum deſcendiſſe, aut deſcenſurum, cum nullum huiuſce deſcenſus experimentum habeamus; nec enim præceſſio Æquinoctiorum, cui innititur *Campanella*, hanc ſolis appropinquationem ad terram vllatenus exigit. Multò minus à latratibus Caniculæ pertimeſcendum eſt, tum quia ad terram non accedit, tum quia falſum eſt Caniculam ſolari corpore eſſe maiorem, tum quia ea exoriens non intendit per ſe calorem, neque huiuſce intenſionis eſt ſignum infallibile, ſed ſolum per accidens, quattenus in hoc Hemiſphærio Caniculæ exortus connectitur cum ſole verticibus noſtris viciniori, & nego conſequentias &c.

Oppones Secundò cum Beroſo; medio illo tempore, quod à Cecrope primo Athenienſium Rege ad Bellum vſque Troianum interceſſit, fuitque annorum ferè 400., Deucalionis diluuium, & Phaetontis incendium contigerunt, ſed en *Beroſi* verba de Phae-

tonte

tonte cap. 10. *His etiam temporibus adeò iugis, & grauis æſtus incanduit, vt ſol per deuia tranſuectus vniuerſum orbem non calore affeciſſe, ſed igne torruiſſe dicatur, impreſſumq; feruorem etiam Æthyopes plus ſolito, atque etiam ſcythas non tuliſſe. Ex quo etiam quidam, dum non concedunt Deo ineffabilem potentiam ſuam inanes ratiunculas conquirentes, ridiculam Phaetontis fabulam texuerunt*. Hincex Chronographis colligitur, prædictum Phaetontis incendium intra annos 1593, cum maxima Iouis, & Saturni coniunctio in principio Arietis, ſeu Trigoni Ignei celebraretur, & 1417 ante Epocham Chriſtianam extitiſſe, in quo medio tempore plures aliæ fuerunt in eodem igneo Trigono magnæ Planetarum Coniunctiones, ergo rationabiliter dici poteſt, Phaetontis incendium ab aliqua huiuſmodi coniunctionum fuiſſe vel productum, vel ſignificatum, ergo vltima pariter totius Orbis exuſtio &c.

Reſpondeo primò; tranſmiſſo antecedente, nego vtramque conſequentiam. *Primam quidem*; tum quia illo etiam medio tempore extitit Deucalionis diluuium, vnde mirum eſſet, quod magnæ Planetarum Synodi in Igneo Trigono celebratę æque Igneum, atque aqueum Cataclyſmum effecerint, vel præmonuerint; tum quia Phaetontis incendium aliam habet interpretationem, vt mox patebit. *Secunda* etiam *Illatio* pſeudographa eſt; tum quia ex falſo, *abſolute* non ſequitur verum, tum quia ex particulari Phaetontis incendio male deducitur vniuerſalis totius Mundi conflagratio Hinc

Reſpondeò Secundò; apud ſacros, profanoſque ſcriptores multiplicem eſſe de Phaetonis incendio expoſitionem: et primò quidem *Boccatius*, & *Natalis Comes* lib. 6. Mythol. cap. 1. volunt, Phaetontis incendinm hiſtoricè acceptum nihil aliud fuiſſe, quā eximiam ſiccitatem, eximiumque calorem, qui ob certum Planetarū congreſſum Sole extremam Libræ partem ſub finem Septembris percurrente, Regiones aliquas ita torruerit, vt cum ſolis currus ad Scorpij ſignum accederet, neque tamen per dierum decur-

decurtationem, æſtus ceſſaret, creditus ſit ſolis currus ſuetam reliquiſſe viam, indeque locum Poætarum fabula mentis feciſſe. Alia apud natalem vide.

Secundò Plutarchus in Pyrrho, ait Regem Phaetontem Aſtronomiæ peritia inſignem, ideò Solis Filium eſſe nuncupatum, quia ſolis curſum per Zodiacum primus didicerit, ac docuerit, ſed cum morte præreptus, antequam artem Aſttonomicam perfectè calleret, è viuis ceſſerit, ideò cæleſti ictum fulmine Poætæ finxerunt.

Tertio Marſilius Ficinus in Timeum Platonis putat fuiſſe Cometam, nomine *Phaetontem*, Solis Filium, quippe ex Solis ſubſtantià progenitum, quique dictus ſit Solis duxiſſe currum, quia de nocte reſplendens, ſolare lumen æmulabatur. Ficino adhæret *Olympiodorus* lib. primo Meteor.

Quarto. Alij cenſent, Phaetontis incendio, *Gomorrhæ* & ſociarum ciuitatum conflagrationem per flammas libidinum vltrices cælitùs immiſſas, & à Moyſe Genes. 19. relatas repræſentari; Ethnicorum enim Theologi ex diuinis Scripturis multa ſurripientes fabularum commenta perperam ſuffarcinarunt; docet enim *Tertullianus* lib. Apol. cap. 27 pleraſque Philoſophorum ſententias, & Poetarum fabulas ex diuinis litteris primitus acceptas, nouiſque cogitationum aſſutamenſis corruptas; *Vnde hæc, oro vos, inquit, Philoſophis, aut Poætis tam conſimilia? non niſi de noſtris Sacramentis. &c.*

Quinto tandem, cum Græci legerint hiſtoriam lib. 4. Reg. cap. 2. de *Helia* curru igneo, & Equis igneis in Cælum tranſuecto, ex nomine *Heliæ* græcè *Iliu* (quod in ſecundo caſu ambiguum eſt) vicinitate, & occaſione condiderunt fabulam Solis, Phaetontis, & Heliadum. Quod ego ne videar ſomniare ad teſtimonium *S. Io: Chryſoſtomum*, & qui ex illo tranſcipſit, *Bedam* in lib. Reg. q. 28. citò; *vt autem (inquit Beda) eidem currus, & equos tribuant, de miraculo ſumptum eſt Heliæ Prophetæ, qui curru igneo, & equis igneis eſt raptus in Cœlum*; *Io: Conſtanipolitanus Epiſcopus æſtimat*;

mat ; quod enim Græcis, Ilios, latine, dicitur ſol ; ſicut etiam Sedulius, cum de Heliæ aſcenſu caneret, oſtendit dicens.

Quam vel fulminei prælucens ſemita Cæli
Conuenit Heliæ, meritò, qui & nomine fulgens
Hac ope dignus erat : nam ſi ſermonis Achiui
Vna per accentum mutatur littera, Sol eſt.

Quæ cum ita ſint, ſequitur, ex incendio Phaetontis nullam de futura mundanæ molis Ecpyroſi coniecturam probabiliter poſſe deſumi.

Opponunt tertiò nonnulli apud Pandulphum lib. de fine M., qui eò, vel arrogantiæ, vel inſaniæ deuenerunt, vt ſpeculis Vſtorijs per artem appoſitè fabricatis putauerint, totum ſaltem Terraqueum poſſe comburi, & per combuſtionem deleri ; ſic autem Parallogyſmum cudunt. Si poſſet per artem effingi Speculum Cauſticum, ſiue Parabolicum, ſiue Hiperbolicum, ſiue alterius figuræ, ad diſtantiam infinitam, ſeù quauis datà maiorem, exurens, vtique poſſet huiuſmodi ſpeculo ſolares radios reflectente totus hic Elementaris mundus exuri, ac deſtrui : ſed reuerà tale ſpeculum poteſt per artem fabrefieri, ergo &c. Sequela *Maioris* patet, quia quocumque in loco ſtatueretur Soli oppoſitum, radios in vnum collectos dirigeret in combuſtibile. *Minorem* verò ſuadet authoritas tùm *Io: Baptiſtæ Portæ*, tùm *Marij Bettini*, & aliorum, qui apud *Gaſparum Scotthum* part. 1. Mag. Nat. lib. 7. c. 5. hoc artificium, & docent poſſibile, & praxim conantur præſcribere, ergo &c.

Reſpondeò primò, tranſmiſſa *maiore*, nego *minorem* cum *Kirchero*, lib. 10. lucis, & vmbræ parte 3. d. 3. cap. 5. & ratio eſt, quia ſi ſpeculum à Porta deſcriptum, vel aliud quomodocumque fabrefactum poſſet ad diſtantiam &c. comburere ſtannum, ferrum &c. vel id faceret per radioſum *Cylindrum* iuxtà *Bettinum*, vel per *Conum*, iuxtà alios. Non *primum* ; quia in Cylindro radij paralleli vt pote diſgregati nullam vrendi habent energiam, cum vſtio non niſi radijs in punctum coeuntibus fiat; non *ſecundum*, quia nullus

nullus Conus infinitæ longitudinis datur, cum omnis Conus, quippe ſingulis linearum binarijs cum baſi duos angulos duobus rectis minores facientibus, adeòque tandem in punctum conuenientibus, ibique ſe decuſſantibus, proprio vertice definiatur. Prætereà cum lux vniformiter difformiter tam illuminando, quã calefaciendo agat, certum eſt radios ſolis in ſpeculum allapſos, indeque reflexos, tantò plus de ſuo vigore remittere, quantò longiùs ſiue Conicè, ſiue Cylindricè prouehuntur.

Reſpondeò ſecundò, negando ſequelam *maioris*, quia hic etiam fas eſt vſurpare, quod crebro in ore habebat *Archimedes*, nempe quod totam è ſuà ſede terram dimouiſſet, ſi extra terram pedem figere, machinaſque operi perficiendo accommodatas ſtatuere licuiſſet. Non aliter in caſu noſtro (licet ex alijs capitibus ſit adynaton) dicendum eſt, nempe requiri locum extra mundum Elementarem, vbi ſpeculum elementaris fabricæ combuſtiuum aptè collocetur, quod cum fieri non poſſe, nemo non videat, hinc etiam futilis tentamenti ſuperbia deluditur &c.

CONCLVSIO OCTAVA.

M*Agnæ, aut maximæ Planetarum coniunctiones non habent vim cauſandi, aut ſignificandi inſignes, ac generales, ſiue phyſicas, ſiue morales in mundo ſublunari mutationes.* Non eſt opus, authores huius ſententiæ Patronos recenſere, qui poſt *Albumaſarem*, & *Alchabitium* adeò pullularunt, vt perpauciſſimi Aſtrologorum ab ea non ſteterint, inter quos *Petrus Alliacenſis*, qui propterea librum ſcripſit de Concordia Theologiæ, & Aſtrologiæ confirmans ab euentibus magnis magnam harum coniunctionum efficaciam, licet poſtea in Elucidario ſeſe magna ex parte correxerit.

Probatur primò. Si magna, vel maxima coniunctio vim habet efficiendi, aut ſignificandi certò euentus, & mutationes in mundo ſublunari maximas, vel id habet, quatenus præciſè, & for-

 ma-

maliter eſt coniunctio Saturni, & Iouis, quotieſcumque tandem, & vbicumque fiat, & hoc nec dicunt, nec dicere poſſunt Aſtrologi; quia eiuſdem ſpeciei ſemper eſſent euentus, vel effectus, quod tamen ab ipſis nec admittitur, nec iuxtà eorum regulas, & principia poteſt admitti; aut quatenus fit in tali gradu Zodiaci, talique momenro, & hoc non; tum quia nullæ adhuc Tabulæ, omni formidine excluſa, hanc & loci, & temporis præciſionem præſtiterunt, & forte numquam præſtabunt. Nam coniunctionem Saturni, & Iouis 1563. Alphonſinæ in diem 27. Septembris in gr. Leonis 4. produxerunt; contrà verò Prutenicæ ad diem Auguſti 26. gradumque 29. Cancri retraxerunt, adeò vt aliter ex Leonis Ignei, aliter ex Cancri, aquei ſigni naturà, ideſt oppoſito prorſus modo, fuerit iudicandum. Reuerà autem fuit Auguſti die 24. hora 14. 30. poſt meridiem Aurangæ, vt obſeruauit *Iunctinus*; tum quia vel accipiunt Aſtrologi Zodiacnm *Rationalem*, & hoc non; quia cum is vel nihil ſit niſi imaginarium, vel ſi reale, plane tamen homogeneum; iidem ſemper forent euentus; vel loquuntur de *ſtellato*, & hoc non; quia cum fixæ eædem eoſdem Planetas eodem ſemper modo reſpicerent, eadem ſemper experiremur effecta, quod tamen & experimentis, & regulis Aſtrologicis aduerſatur, ergo &c.

Probatur ſecundò. Cum iuſtiùs ſit, adhiberi in hoc Iudicio *veras* potiùs, quam *medias* coniunctiones ex dictis ſuprà, & nihilominus Albumaſar, omneſque illius ſectatores adhibuerint, & adhibeant medias, quæ non rarò euenerunt, & eueniunt in ſignis oppoſitæ triplicitatis, ſequitur manifeſte, proprietates euentuum, à decretis ipſarum diuerſas fuiſſe aſſignandas; & quod Igneæ, vel Terreæ Triplicitati fuit adſcriptum, ad igneam, vel aeram pertinuiſſe, & è contrà; ergo incerta, & vana omnino eſt ars illa quæ falſis, aut inconſtantibus principijs innititur.

Probatur tertiò. Illa ipſa ſignorū partitio in Ignea, Aera, Aquea, & Terrea, & denominatio trigonorum ab Elementis ſublunaribus non ex rerum naturis, ſed ex mero hominum arbitrio petita eſt

eſt, vt oſtendit etiam Keplerus in noua ſtella cap. 6. fundaturque in merà analogià cum Signorum imaginibus; quia enim Cancer, Scorpius, & Piſces, Aquatica ſunt animalia, idcircò ſigna Zodiaci Rationalis, quibus olim huiuſmodi conſtellationes reſpondebant, Aquea vocauerunt; ſed quare non potius Aquarius *Aqueus*; Taurus, & Scorpius, *Ignei* dicti ſunt: cum maximæ in ijs ſtellæ *Palilitium*, & Antares rubore ſuo Martis Ignes æmulentur; quandoquidem à ſtellis olim coniunctis cum illis ſignis inuiſibilibus placuit ſumere denominarionem?

Probatur quartò. Figmenta *Albumaſaris*, multorumque Arabum ſuper his coniunctionibus fundata, ſunt adeò ridicula, & ab euentis re ipſa ſecutis diſcrepantia; vt Cabaliſticas Nugas, & Alcorani deliria leuitate, ac futilitate ſua longe ſuperent, ac propemodum me pudeat, ad illa, quamtumuis animo impugnandi, oculos adiecиſſe: vt cum lib. 1. diff. 4. ait. Si quo tempore Syzygia mutatur, fuerit quis alius Planetarum Dominator *Quarti Aſcendentis*, illum eſſe *Significatorem Equitaturarum, & Veſtimentorũ, quibus Noua Sectæ Pars maxima vtetur. Quod ſi fuerit Saturnus, inquit, ſignificat quod maxima pars Equitaturarum Ciuium eius Sectæ, erunt Runcini; & ſi fuerit Mars, erunt Equi; & ſi fuerit Mercurius, erunt Aſini; & ſi fuerit Venus, Cameli, & ſi fuerit Luna, Boues, vel Vaccæ*. At quid Saturno lentiſſimo cum Runcinis; Quid Mercurio eruditiſſimo, & ſagaciſſimo cum ruditate, & ſtoliditate Aſinorum? Quid Veneri venutiſſimæ cum gibboſitate, & fæditate rictus Camelorum? Quod ſi Iuuencus, aut iuuenca imitantur Lunæ cornua cornibus ſuis, nihiloſecius Venus Teleſcopio ſpectata, non minus corniculata apparet; ſed apagè hæc ſomnia vigilantium Aſtrologorum.

Probatur Quintò. Chronologia Euentuum, quibus Aſtrologi multa ſuperſtruxerunt dogmata, vt Coniunctionibus magnis, aut maximis dignitatem pluſquam Regiam conciliarent, aut apertè falſa eſt, aut ſæpè adeò controuerſa, vt arti fundandæ neutiquã poſſit deſeruire; V. G. cum *Albumaſar*; ait tra. 1. diff. 1. inter

Adami Creationem, & Noctem diei Veneris, in qua Noeticum incepit diluuium, effluxiſſe annos 2226. menſem vnum, dies 24. horas 4. cum tamen ex aliorum Chronographia luculentis probationibus confirmata, non interceſſerint anni plures, quam 1656. aut 1685. ſed infinitum eſſet iſta perſequi, & videò ſe poſsè quadam tenus tueri fide Hiſtoricorum, quos ſecuti fuerint, ideòque efficaciùs.

Probatur ſextò; Fallacia prædictionum circa Sectarum ortum, aut interitum ex hiſce coniunctionibus, aut ſyderum poſitu deductarum, pudendam nimis earumdem vanitatem oſtendit. Nam primò olim Mathematici Aſtromantes, teſtibus *S. Auguſtino* lib. 18. cap. 53. de Ciuit. & *Io: Pico* lib. 5. cap. 1. contra Aſtrol. cum cæpit Chriſti fides pullulare, dictitarunt, eam non plus annis 365. duraturam, & tamen 1683. iam annus euoluitur, ex quo floruit Eccleſia Catholica, florebitque vſque ad conſummationem ſæculi.

Secundò Albumaſar tra. 2. diff. vlt. eamdem Religionem noſtram, dixit, permanſuram annis tantumodo 1640, quia ſcilicet tot ſunt anni, quos vocant ſolis magnos, ſeù Annum Magnum Canicularem, & Periodum Sothiacam; Arabum vero Sectam duraturam annos 544. Prætererunt anni 1640; & tamen noſtra Religio perſeuerat; ſed neque in ſuæ Sectæ duratione veracior fuit, quæ cum inierit ab Anno Chriſti 622, debuerat perire anno 1266., quo ſæculo cum adhuc viueret Albumaſar, proinde tempus illud propinquum iam eſſe, affirmauit.

Tertiò. Abraham Iudæus anno 1464. Meſſiam venturum prędixerat ex poſitu ſyderum ſimili illi, qui fuerat, quando Moyſes educto populo de ſeruitute Ægypti, legem diuinitùs acceptā dedit. Ego, inquit Io: Picus, *proximo ante eum anno natus, cum iam annum 30. agam, experimento didici prædictionis illius falſitatem.*

Quartò Arnaldus Hiſpanus Antichriſtum eſſe venturum anno *Gratiæ* 1345. comminabatur ob trium ſuperiorum Planetarum ſynodum in Aquario; fluxerunt ab eo tempore anni 338. nec

præter

præter Hæreſiarchas, quos Apoſtolus vocat *Antichriſtos*, alij venerunt.

Quintò. Petrus Card. Alliacenſis quo anno Conſtantienſe Concilium celebratum eſt, paſſim Aſtrologis Catholicæ Religionis interitum, aut exitium immane vaticinantibus credidit, ac timuit, ne poſt Schiſma illud, quod tamen eò Concilio ſublatum eſt, adeſſet Antichriſtus.

Sextò. Nicolaus Card. Cuſanus lib. de diebus Nouiſſ. cenſuit, Mundi interitum anno Chriſti 1700. vel 1734. futurum.

Septimò. Cardanus lib. 2. de Var. cap. 2. & *Iacobus Naclantus* in Prælud. Med. cap. 4. Mundi exitium anno 1800. futurum ex ſyderum poſitu, docuerunt.

Octauò. Alij cum *Nauſea* lib. de conſum. ſæc. ex cætu tot Planetarum anno 1524. menſe Feb. in gr. 10. Piſcium habito diluuium totius, aut maximæ partis Orbis prædixerunt, tantumque nonnullis incuſſere terrorem, vt ſe ad habitandum in montes reciperent, aut ædificia attollerent, aut prægrandes naues præpararent.

Nonò. alij apud Toſtatum in Matth. cap. 22. q. 23. finem legis Chriſti ex coniunctione Saturni, & Iouis anni 1044. menſe Iulio facta in anno 1048. fore dictitarunt.

Decimò. Ridiculus quam maxime fuit & ille Aſtrologus Tholoſanus, qui à ſimili aſpectu diluuium ad certam diem timens, arcem ſibi fabricauit, quem tamen diem ſereniſſimum fuiſſe refert *Florimundus* l. de Extr. Iud.

Vndecimò. Valens Aſtrologus, vt refert *Scaliger* lib. de emendat. Temp. prædixerat, Conſtantinopolim à *Conſtantino* inſtauratam non niſi annos *696.* duraturam. At *Io: Franciſcus Spina* lib. 2. c. 3. ex Magna Saturni, & Iouis Coniunctione anno 1603. facta colligit, Turcarum Sectam hoc ſæculo, aut initio ſecuturi eſſe exterminandam. Huius enim exterminij originem in *primà* illa coniunctione germinaſſe, in *ſecundà* anni 1623. floruiſſe; in *tertià* anni 1643. fructifacturam, & *quartam*, aut *quintam* complementum

daturas, & ſic anno 1663. aut 1683. in quo viuimus, vel ad ſummum anno 1702. penitùs interituram Mahumetis ſupertitionẽ; ſed ſicut prognoſes, ex pręteritis coniunctionibus deriuatas effectus ſecuti demonſtrarunt omninò fallaces, & nugatorias, non aliter de futuris poſſumus iure meritiſſimo definire, ergo &c.

Probatur ſeptimò. Aut maxima Planetarum ſynodus gignit, vel ſignificat euentus ſtatim ſecuturos, & hoc nec audent Aſtrologi, nec poſſunt dicere reclamante vndequaque hiſtoria; vel non niſi poſt aliquod notabile tempus, itaut *Albumaſar*, & *Alliacenſis* inter Coniunctionem diluuij Noetici ſignificatiuam, ac diluuium ipſum annos 279. interceſſiſſe liberaliter concedant; ſi verò ſic eſt; ergò, vt *Bellantius* ipſe docet, non magis tribui poſſunt effectus illi magnis, aut maximis ſyzygijs, quam alijs Stellarum Aſpectibus, qui propiori tempore facti fuerint; Puta, illius anni Eclipſibus, ſexcentiſque alijs errantium, aut inerrantium ſyderum Configurationibus. Neque cum *Pontano* dicas; Effectum, quem maxima Coniunctio inchoauerit, & quaſi in vtero conceperit, paulatim ſucceſſu temporis organizari ab alijs Planetarum ſyzygijs, ac tandem pleniori luce irradiatum ad maturitatem perduci. Sed contrà; quia minores coniunctiones maximis, vel numquam, vel rariſſimè opitulantur, quaſi ipſarum vires confoueant, ſeù diſpoſitiones in materiam quadantenus introductas conſeruent; Nam à tempore, quo V.G. facta eſt Coniunctio maxima vſque ad annos 20. completos, quibus fit coniunctio minor, diſpoſitiones illæ, ſeù effectus, qui erant à maxima coniunctione inchoati, euaneſcunt penitus, & extinguuntur; cùm eo tempore intermedio nulla detur cauſa diſpoſitiones à Maxima Coniunctione immiſſas conſeruans; imò ſæpè adeſt cauſa contraria ipſas corrumpens; Puta, coniunctio Martis, & Iouis, quæ ſingulis 27. menſibus fit, aut coniunctio Solis cum Marte, quæ ſingulis 26. menſibus; aut coniunctio Martis cum Saturno, quæ ſingulis 25. menſibus celebratur &c. vt fusè *Cardanus* proſequitur lib. 2. cap. 9. Aſtr. Iud. Igitur cum iſtæ coniunctiones intermediæ habeant

aliquandò diſparatas, aliquandò diuerſas, ac repugnantes intentiones, ab intentionibus, effectis, ac finibus à maxima coniunctioue intentis, neceſſariò conſequitur, vt huiuſmodi ſyzygiæ minores non conſeruent, ac promoueant, ſed potiùs impediant, ac deſtruant, quod à maximis, & præcedentibus potiſſimè intendebatur.

Probatur octauò. Si ſolas coniunctiones maximas in principio Triplicitatis Igneæ, vel alterius cuiuslibet factas ſpectemus, multi tamen euentus maximi momenti, & mutationes rerum inſignes ante illas acciderunt, vt proinde nequiuerint à ſuccedentibus ſyzygijs, vel præeffici, vel præſignificari; Si verò ad coniunctionem proxime antecedentem prouocetur, ſæpè illa pertinet ad Trigonum diuerſæ ſpeciei, illiſque effectibus, ac euentis minime congruentem, quam fuerit coniunctio magna, vel maxima ſubſequens. Conſulantur Chronographi, & comparentur tempora mutationum, ac euentuum inſigniorum cum coniunctionibus magnis, aut maximis, magnamque paſſim intueberis diſcrepantiam. Denique cum nullum fuerit ſæculum, imò vix ſemiſęculum, in quò non fuerint aliqui effectus inſignes in mundo tam ſublunari, quam præterlunari, puta, bella inter nationes, aut nouæ Monarchiæ, aut Barbarorum irruptiones, perſecutiones Eccleſiæ, ſchiſmata, aut Nouarum Sectarum Authores, Peſtilentiæ, Fames, Terręmotus, Alluuiones, &c. Cometæ, Noua Sydera, &c. Non eſt cur iſta cælitùs à duorum Planetarum Synodis, nobis eminùs, & confusè præſignificata venditentur; Aliunde enim ex hiſtoria omnium ſæculorum ſcimus, nullum ſæculum ab huiuſmodi viciſſitudinibus fuiſſe immune, aut fore; Particularem verò, & diſtinctam futurorum euentuum prænotionem, ac prædictionem ſuis dumtaxat Prophetis, non autem Aſtrologis Deus impertiuit.

Probatur tandem nonò. Si maximæ, & ſuprà alias Eminentiſſimæ ſuperiorum Erronum ſynodi tantum habent roboris, & energiæ; profectò id habebunt: vel *primò*, iuxtà Pithagoricos ex

numero

[illegible] ex-
[illegible] Con-
[illegible]
[illegible] & cum
[illegible] ſemper
[illegible] ſpeciebiem,
[illegible] tam prodigioſa
[illegible] & P[illegible]
[illegible] quoc ta-
[illegible] *quarto* [illegible] om-
[illegible] Planetarum celeritatis
[illegible] Zodiaci, [illegible] & configuratione aliorum
ſyderum, tam errantium, quam fixorum, & hoc non: tum quia
iuxta *Keplerum*, & alios [illegible] bis eadem ſyderum omnium
perfecta Apocataſtaſis redibit propter motuum incommenſura-
bilitatem; tum quia gratis admiſſa motuum rationalitate, nullæ
vnquam duę per omnia, & in omnibus ſimiles Apocataſtaſes eue-
nerunt, cum multas exigant annorum, aut etiam ſæculorum my-
riades, tum quia ex vna, vel altera in omnibus ſimili coniunctio-
ne non poteſt Axioma Canonicum, & principium vniuerſale ſta-
biliri; vel *quinto*, ex Diuina ordinatione huiuſmodi Coniunctiones
habent phyſicè, vel moraliter parturire mutationes adeò extra-
ordi-

ordinarias, quamuis non per omnia vna alteri aſſimiletur; ſed quiſnam *Spiritus* id reuelauit Aſtrologis? Certe non *Diuinus*, cum ne leue quidem huius Reuelationis extet indicium in Sacris Scripturis, Concilijs, aut Patribus; ergo tandem Aſtromantes ſyzygiarij ex ſpiritu quodam peculiari, hoc eſt *Dæmoniaco*, & mendaci ipſis aſſiſtente, huiuſmodi futurorum prænotiones oppidò fallaces didicere &c.

Oppones primò ex Origano, *Alliacenſi &c.* quoties maxima ſuperiorum Planetarum ſynodus celebrata eſt, toties inſignis in mundo aliqua rerum viciſſitudo ſecuta eſt, ergo tales ſynodi ſunt cauſæ, vel ſigna huiuſmodi viciſſitudinum. *Probatur Antecedens* ex Chronographia harum Coniunctionum, quarum ſingulis euentus planè notabiles correſpondent, vt videre eſt in adiecto laterculo. Quoniam verò numeris rotundis Annorum 800. vtendo facilè ad memoriam rediguntur prædictarum coniunctionum, & Euentuum tempora, idcircò *Ricciolius* æſtro quodam Poetico potiùs, quam fatidico percitus ſequentes verſus effudit.

Ignea Triplicitas coniunctio maxima dicta
Saturnique, Iouiſque, annis redit octingentis.
Prima habet Adami lapſum, ac Primordia Mundi.
Sæua latrocinia, vrbeſque, Arteſque *Secunda*.
Tertia diluuium, renouatæ ac ſemina gentis.
Quarta vocat Moyſem, ſcribitqne in marmore legem.
Quintaque Olympiadas, Romam, Babylonis, & Aeram.
Sexta Deum Chriſtum ſtupet, Auguſtumque Monarcham.
Translato Imperio Carolum dat *Septima* Mundo.
Sacra Kalendarij, Cycloſque *Octaua* reformat;
Gregorio ſubdit Iaponas, Regna vltima Terræ,
Terque nouis portenta Aſtris inſtaurat Olympo.
Quod ſi *Nona* minax ter triplex ardeat Orbi,
Accenſam extinguens ſupremam Lampada vitæ;
Poſt ſptem Decades ſæclorum, & ſabbatha magnæ
Hebdomadis, renouetque noui Primordia Regni,

Vt pia perpetuum mereantur ſæcula Solem,
Impiaque æternæ damnentur ſæcula nocti &c.

Triplicitatum Ordo	Coniunctiones Maximæ Anni antè Christum.		Inſignes Euentus, & Mutationes.
Ordo	Keplero	Ricciolio	
1	4000	3980 Adamo	Mundi exordium, aut lapſus Adami.
2	3200	3285 Enoch	Latrocinia, indè Vrbium extructio, Artium Inuentio.
3	2400	2390 Noè	Diluuium Noeticum, & Orbis Inſtauratio.
4	1600	1595 Moyſes	Plagæ Ægypti, Exodus, Lex ſcripta.
5	800 Eſaias	801 Romulus	Olympiadum initium, Roma condita, Nabonaſſaris Aera.
6	Chriſtus	6 Auguſtus	Monarchia Auguſti florens, Orbis deſcriptio; Chriſti Ortus.
7	800 Carolus M.	789 Carolus M.	Imperij Romani traslatio in Francos.
8	1600. vel Gregorius XIII.	1583. 1603.	Kalend. Reformatio, Iaponum Regum legatio, ad S. Pontificem; Tres Stellæ nouæ in Cælo.

Reſpon-

Reſpondeo Primò, tranſmiſſo antecedente cum ſua probatione; diſtinguo conſequens. Habent connexionem merè accidentariã, & purè temporariam, hoc eſt eodem tempore, quo coniunctiones iſtæ extiterunt in Cœlo, effectus etiam, & euentus notabiles apparuerunt in Mundo, tranſeat conſequens, & nego conſequentiam; licet enim magnus Turca connectatur *temporaliter*, ſeù coexiſtat Regi Hiſpano, neuter tamen eſt cauſa, vel ſignum exiſtentiæ alterius; habent connexionem per ſe phyſicam, aùt moralem, nego conſequentiam.

Reſpondeo Secundò, diſtinguendo antecedens; *toties in Mundo ſecuta eſt aliqua mutatio* &c. ſecuta eſt ex vi ſiuè *cauſatiua*, ſiuè *ſignificatiua* huiuſmodi coniunctionibus inexiſtente; nego antec: ſecus, tranſeat antec. & eodem modo diſtinguendo conſequens cum ſua probatione; nego conſequentiam.

Oppones Secundò ex *Argolo*, & alijs. Lex Idololatriæ à Trigono Terreo ſub Belo annis ante Chriſtum circiter 1420. Iudaica à Trigono Aereo; Chriſtiana ab Igneo; Mahumetana ab Aqueo inchoauit. Quia verò in maxima coniunctione fit tranſitus V. G. à Trigono Aqueo ad Igneũ, qui cũ ſint inter ſe contrarij cõtrarias mutationes adducunt; hinc *Cardanus* tradidit, Religionem nóſtram Chriſtianam maximè affligendam, quandò fiet tranſitus à Trigono Igneo, à quo incepit, ad Aqueum; Mahumetanum verò Sectam eſſe deſtruendam, quandò fiet tranſitus ab Aqueo, in quo cæpit ad Igneum; ergo maximæ Coniunctiones &c.

Reſpondeo, tranſmiſſo, & non conceſſo antec. cum ſua probatione, nego conſequentiam; & ratio eſt; *primò*, quia cum velint Aſtrologi, mutationes Legum, ac Sectarum à coniunctionibus magnis inducendas omninò procedere ex duorum elementorum Ignis, & Aquæ contrarietate, ſicut nemò ſanæ mentis affirmabit, qualitates Ignis, & Aquæ, vel ad conſtituenda, vel ad deſtruenda Imperia concurrere, ita nec prudenter aſſeret, magnis Planetarũ ſyzygijs communicari vires, & energiam à contrarijs Trigonorũ, in quibus fiunt, affectionibus; *ſecundò*, quia cæleſtia corpora *immediate*

mediatè non excitant paſſiones, (nomine autem *Paſſionum* veniunt hic *actus vitales appetitus ſenſitiui*, quatenus coniuncti cum aliqua ſanguinis agitatione) ſed ſuo calore commouent V. G. Bilem, quæ calida, & ſicca eſt, ex cuius commotione conſurgit *Ira*, quæ materialiter ſumpta eſt efferueſcentia ſanguinis circa cor; ita excitant ſanguinem, in cuius moderato motu, & incaleſcentia conſiſtit appetitus concupiſcibilis, & ipſius præſertim præcipua affectio, ſeù Amor. Hinc ineunte Vere, quo ſanguis, & ſpiritus puriores Sole ad nos accedente incipiunt velocius moueri, & incaleſcere, excitatur tum in Hominibus, tum in Brutis Animantibus Amoris paſſio, hepate ſcilicet calefacto, in quo Amoris Regiam, ſicut in corde Iræ Armamentarium Platonici ſtatuerunt. Quia verò iuxtà *Galenum*, mores ſequuntur corporis temperamentum, cęleſtia corpora, quæ ad temperamenti formationem, vt cumque influunt, etiam *remotè*, dum taxat, & *indirectè* ad Paſſiones, quæ ſunt temperamenti progermina, ſuo modo concurrunt. Quæ cum ita ſint; Liquidò conſtat, ſydera, & Planetas, quemcumque ſortiantur aſpectum, in appetitum rationalem neutiquam agere; quia ſi immediatè non influunt in paſſiones, ad quas interdum conſequitur libera voluntatis operatio, vel nullatenus, vel ſolum *remotiſſimè* concurrent ad elicitos actus voluntatis; quæ tùm ſuæ libertatis dominatione, tùm & maximè Diuinæ Gratiæ præſidijs præmunita prauis appetitus ſenſitiui conatibus, ſi velit, reluctabitur. Ex hac doctrina apud omnes Philoſophos, ac Theologos compertiſſima, nullo negotio diluuntur, quæ de mutatione Sectarum, ac Religionis dependenter à Magnis Planetarum Syzygijs nimis audacter obiecta ſunt. Cum enim Religionis, ac veræ Pietatis vſus ab humano pendeat arbitrio, diuina opitulante Gratia, & tamquam principali cauſa excitante, ac mouente voluntatem, non falsò minùs, quam impiè aſſeritur, Religionis Ortum, aut Interitum pendere à configurationibus ſyderum, quæ dumtaxat agunt in materiam corpoream, nempè Temperamentum, humores per ſe, & *immediatè*,

tè, mediatè verò, & per accidens in paſſiones, nam in partem ſpiritualem, ſeù voluntatem, cuius ſunt electiones honeſtæ, vel inhoneſtæ; quæq; electiones ſępiſſimè nullam habent cum temperamento, humoribus, vel paſſionibus affinitatem, & connexionem, vt contingit in illis, qui ſummam pietatem, ac Religionem eligentes, ieiunijs, alijſq; id genus caſtigationibus, corpus macerant, in maximum temperamenti detrimentum proſtratis, ac penè profligatis Paſſionibus, quæ bellam ſpiritui ciebant; ergo delirant omninò, & præſertim ſyzygiarij, dum aſſerunt, Sectarum viciſſitudinem, ac Religionem, à magnis, vel maximis Planetarum ſynodis dependere, adeoque intellectiuam, atq; appetitiuam hominum facultatem, vel ab arcanis ſyderum afflatibus, vel à fictitijs eorundem configurationibus huc illuc agitari &c.

CONCLVSIO NONA.

M*Agna, vel* (ſecundum alios) *maxima anni proximè elapſi* 1682. *& iam labentis* 1683. *Saturni, Iouiſq; coniunctio pluries in Leone Rationali, non autem Stellato celebrata, nullam inſignẽ mutationem, ſiue Phyſicam, ſiue Moralem in mundo ſublunari potuit per ſe ipſam ſolitariè accepta vel efficere, vel ſignificare.*

Licet pro hac Concluſione militent omnia pene argumenta, quæ hucuſq; ad præcedentium confirmationem adduximus, nihilominus ſic breuiſſimè.

Probatur primà pars de Inefficacia in genere cauſæ; Quia cum talis coniunctio, ſi eſt Actiua, non agat per modum *Creationis*, & independenter à ſubiecto; vel igitur, aget in ſubiectum quomodocumque ſit diſpoſitum, vel peculiaribus, ac determinatis affectum diſpoſitionibus: non poteſt dici primum, quia de facto repugnat experientia, cum in omni vel Parallelo, vel Zona, cui Saturnus, & Iuppiter *Platicè*; vel *Partiliter* coniuncti verticales fuerunt, inſignem huiuſmodi mutationem ſiue phyſicam, ſiue moralem non ſimus experti, nec experturi. Non *Secundum*, quia

quia nec aſſignant, nec aſſignare poſſunt Aſtrologi, quibuſnam debeat affici, & præparari diſpoſitionibus, materia, in qua tam inſignem mutationem adeò decantata Coniunctio progignat, ergo &c.

Probatur ſecundà pars de Inefficacia in genere ſigni. Nam ſi habet rationem ſigni, certè vel *arbitrarij*, & ad placitum, vel *naturalis*. Non *primum*; quia non oſtenditur, quiſnam tale ſignum inſtituerit; Non *ſecundum*, quia non aſſignatur connexio naturalis, & neceſſaria inter huiuſmodi ſignum, & rem ſignificatam, ergò ſicut in alijs pluribus, ita etiam hic, merè ad libitum, & arbitrariè loquuntur, ac definiunt Aſtromantes Syzygiarij &c.

Oppones. Hoc anno per plures continuatim menſes, & præſertim Decembrem, Ianuarium, Februarium &c. quibus ſolent eſſe frequentiores pluuiæ, magna extitit in noſtris Regionibus ſiccitas; ſed id aliunde prouenire non potuit, quam ex præſenti Iouis,& Saturni coniũctione in Leone Rationali celebrata; ergo &c.

Reſpondeo Primò tranſmiſſa maiori, diſtinguo minorem; non poteſt prouenire niſi à coniunctione &c. tamquam à cauſa totali, præciſà, & immediata, nego *Minorem*, tamquam à cauſa partiali mediata,& remota, tranſeat *Minor*, & nego conſequentiam.

Reſpondeo Secundò tranſmiſſa pariter maiori, nego abſolutè minorem in ſenſu Aſtrologorum intellectam; nam eſto, Planetæ ſuperiores in *Leone Rationali* coniuncti aliquo tandem pacto in prędictam ſiccitatem influxerint, non poteſt tamen talis coniunctio ſecundam ſe præcisè, & ſolitariè accepta fuiſſe ſignum huiuſmodi ſiccitatis, cum ad multa alia ſit reſpiciendum, nempè ad qualitates Soli, & Regionis, viciniam Solis, aliorumque ſyderũ, alioquin ſi prædicta coniunctio abſolutè, & ſolitarie accepta talem ſiccitatem, vel effeciſſet, vel ſaltem ſignificaſſet, iam vbique terrarum, vel in eodem ſaltem Telluris Parallelo fuiſſemus experti; quod tamen eſt falſum. Adde cum in pluribus eiuſdem ferè Paralleli locis, & non in omnibus ingens Niuium, imò & Pluuiarum copia deciderit, euidenter colligitur, magnam Planetarum

rum

rum coniunctionem non poſſe adæquatam eſſe huiuſmodi viciſſitudinum cauſam. Dixi propterea in *Leone Rationali coniuncti*, quia cum fixæ per vnum ferè ſignum motu proprio in *Antecedentia* præceſſerint, iam prædicta coniunctio facta eſt in *Stellato* Virginis ſigno, quod *Leoni Rationali* correſpondet, adeòque cũ *Virgo ſtellata* ad Terreum Trigonum pertineat, non poteſt etiã iuxta Aſtromantium Principia, Triplicitatis Igneæ affectiones habere. Adde iuxta *Duret Montebriſonum*, ex quocumque Saturni, & Iouis congreſſu in *Vere turbidum, vel humidum Aerem fieri*, quem tamen in noſtris Regionibus, & ſerenum, & ſiccum habuimus. At tempus, & operam perderem, ſi Aſtrologorum Antilogias velim recenſere, & ſic negatur conſequentia.

Et hæc de fictitia magnarum coniunctionum *Panurgia* ab Syzygiarijs adeò decantata innuiſſe ſufficiat, contrà quos audenter intorquendum, quod Auguribus vniuerſim obiecit *Pacuuius* apud *Tullium* lib. 1. de Diuinat. *Nam iſtos, qui linguam auium intelligunt, pluſque ex alieno iecore ſapiunt, quam ex ſuo, magis audiendos, quam auſcultandos cenſeo;* ac proindè *Gellio* mordicus adhærendum aſſerenti: *nihil credo Auguribus*, [Germanis Aſtrologorum Fratribus] *qui verbis aures ditant alienas, ſuas vt auro locupletent domos, & loculos &c.*

Ad maiorem Dei Gloriam.

THESES

Ad Telluris motæ, atque immotæ Syſtema pertinentes.

Totus, & omnis Aſtronomorum & Coſmographorum in hac controuerſia labor, & conatus eò collimat, vt innegabili diuinarum ſcripturarum Authoritate parumper ſepoſita; Argumentum aliquod phyſicomathematice euidens, & apodicticum reperiatur, quo Tellus, vel in centro Vniuerſi, omnis expers motus tam diurni, quam annui; vel eadem extrà mundi medium tàm dietim circa ſuum Axem, quàm annuatim in Orbe magno reuoluta demonſtretur.

I

Non demonſtrant Copernicani diurnam Telluris Vertiginē circa ſui centrum, & Axem; *Primò* à Figura Terræ rotūda. *Secundò* à mobilitate eiuſdem raptilis ad motum primi mobilis. *Tertiò* à motu circulari potiùs, qua recto terram decente. *Quartò* ab ingenti Octauæ Sphæræ magnitudine. *Quintò* à facilitate motus Telluri potiùs, quam ſtellis conueniente. *Sextò* à fluiditate Cælorum, & conſtanti fixarum inter ſe diſtantia. *Septimò* ab indigentia Telluris, & independentia ſtellarum ab ipsâ Terrâ. *Octauò* ab incredibili fixarum velocitate. *Nono* ab inconſtanti earundem declinatione, & velocitate. *Decimò* ab inæqualitate dierum naturalium.

II.

Solem in Centro Mūdi expertē motus diurni, & annui non demōſtrant; *Primo* nobilitas Solis maior, quā Terræ *Secundo*, centrū ſyſtematis Planetarij, *Tertio*. Fons luminis, & caloris. *Quarto*. Fons, & origo motus. *Quinto*. Moles ſolis maior, quam terræ. *Sexto* Analogia microcoſmi cum macrocoſmo. *Septimo*. Congrua Cælorum craſſities. *Octauo*. Proportionata Cælorum diſcretio. *Nono*. Indigentia, & finis motus. *Decimò*. Coſmographicum Kepleri myſterium ex quinque corporum Regularium dimenſione quinque Planetis attribuenda,

III.

Annuum Telluris motum non demonſtrant; aut *Primo*. Superfluitas motuum trium ſuperiorū Planetarum per Epicyclos, & duum inferiorum per Excentricos, vnico Telluris annuo motu ſublata; aut *Secundo*. Imperfectio motuum cœleſtium, ſi reipſa tales ſint, quales apparent, ſublata, & meræ apparentiæ attributa; aut *Tertio*. Latitudo, & inclinatio minorum Planetarum ad Eclipticam; aut *Quarto*. Circulus æquans per annuum terræ motum ſublatus; aut *Quinto*. Fixarum Diametri, motus, & diſtantiæ apparentes variatæ; aut *Sexto*. Lunæ variatio, & libratio; aut *Septimo* Nouarum ſtellarum Phænomena; aut. *Octauo*. Cometarum Traiectiones; aut *Nono*. Mutatio lineæ meridianæ, & Altitudinis Poli; aut *Decimò*. . Maculæ ſolis, & æſtus maris.

IV.

Diurna Tellurius vertigo, aut annua eiuſdem translatio non demonſtratur à Copernicānis. *Primo* à perpetuo torridæ Zonæ vento verſus Occaſum flante. *Secundo*. à fibris, aut venis metallicis in Orientem obuerſis. *Tertio*. Ex acubus ferreis in aere

ad æquilibrium ſuſpenſis verſus Mundi Polos ſe componentibus. *Quarto*. Ex continuo velocitatis Grauium naturaliter deſcendentium incremento ſecundum numeros pariter impares ab vnitate numeratos procedente.

V.

Nam in Hypotheſi Terræ ſtantis ratio, & cauſa à priori huiuſmodi velocitatis Grauium non eſt; *Primo* aut alteratio à contrarijs qualitatibus. *Secundò* aut illicium, & attractio à cognatis locis. *Tertiò*, aut magnetiſmus Terræ. *Quartò*, aut minor reſiſtentia medij. *Quintò*, aut aer à tergo mobilis accurrens. *Sexto*, aut idem in anteriora diſſipatus, & fugiens. *Septimo*, aut morulæ pauciores, & pauciores motum diſcretim interrũpentes. *Octauo*, aut impetus continuè quidem acquiſitus, & ſecundum antiquiores gradus continuè pariter diminutus. *Nono*, ſed eſt impetus æquabiliter in tẽporibus æqualibus acquiſitus ita tamen, vt prædictus impetus dimidium conficiat ſpatium illius, quod peragraſſet, ſi totus ſimul, & à principio motus permanenter exiſtens, mobile ſuum detuliſſet.

VI.

Non impugnant euidenter Ptolemaici diurnum, aut annuum telluris motum. *Primo*, à corporibus pendentibus, vel meantibus in aere. *Secundo*, à motu difficiliori verſus Occaſum, quam verſus Orientem futuro. *Tertio* à rebus fluidis in ortum obuertendis. *Quarto*, à Bombardæ Globo verſus quattuor Mundi plagas exploſo. *Quinto*, ab eodem in diuerſis parallelis, ac in partes oppoſitas in ſcopum feriente. *Sexto*, à maiore eiuſdem percuſſione in vnam potius, quam aliam partem emiſſi futura. *Septimo*, à multiplicatione motuum eiuſdem ſpeciei non neceſſaria. *Octauo*, à multiplicatione motuum maiori in ijs corporibus, in quibus minus

minus eſt fundamentum, & multiplicatione minori, vbi maius eſt fundamentum. *Nono*, à deſtructione motuum apparentium, & ſubſtitutione non apparentium.

V I I.

Immunitatem Telluris ab omni motu tam vertiginis, quam translationis non demonſtrant Ptolemaici. *Primo*, ab inertia Telluris ab ad omnem motum, & præſertim circularem. *Secundo*, à nimià Telluris rapiditate, quam nullum mobile in ortu aſſequi poſſet. *Tertio* ab ingenti ſonitu, perpetuo vento, & ſciſſione aeris per motum terræ cauſandis. *Quarto*, à concuſſione, & ruinà ædificiorum, ac proiectione corporum Telluri infirmiter adhærentium. *Quinto*, ab impetus ſenſatione in nobis cum terrà delatis futura.

V I I I.

Telluris quietem omnimodam in centro Mundi non probant efficaciter. *Primo*, Ortus, aut Occaſus syderum. *Secundo*, Fixarum ex Puteorum fundis, vel per tubos ſpectatæ. *Tertio*, Vmbræ Gnomonum ſub Tropicis tempore ſolſtitiorum proiectæ. *Quarto*, Eclipſis ſolis in morte Chriſti Domini trium horatum ſpatio perdurans.

I X.

Diurnum, aut Annuum Telluris motum non impugnant efficaciter Ptolemaici, & Peripatetici. *Primo*, ex violentia talis motus telluri indebita. *Secundo*, ex ſimplicitate motus recti per motum terræ ſublata. *Tertio*, à principio effectiuo motus Terræ difficulter aſſignabili. *Quarto*, à peruerſione motus recti pro violento, & circularis pro naturali habiti.

X.

Eumdem Telluris motum Copernicęum non improbant euidenter Peripatetici. *Primo*, à termino grauium, & leuium. *Secundo*, ab identitate Centri Terræ cum centro Mundi. *Tertio*, à natura grauitatis, & leuitatis. *Quarto*, à negatione motus deorſum reſpectu totius Terræ. *Quinto*, ex loco grauibus debito. *Sexto*, à deſtructione leuitatis poſitiuę. *Septimo*, à confuſione grauium cum leuibus. *Octauo*, à ſuperfluitate centrorum, & ſitus ſyſtematum. *Nono*, à differentia ſitus ſurſum, & deorſum. *Decimo*, à ſitu inferorum, & damnatorum.

X I.

Quietem Telluris perfectam in medio Mundi non demonſtrāt. *Primo* Phænomena ſitui Telluris in medio Mundi poſitæ congruentia. *Secundo*, duo motus contrarij in Planetis apparentes. *Tertio* Hemiſphærium Cœli vbique Terrarum aſpectabile. *Quarto*, magnitudo fixarum vbiq; eadem apparens, *Quinto*, æqualitas vmbrarum Gnomonum ſiue ad Ortum, ſiue ad Occaſum proiectarum tam Oriente, quam Occidente ſole. *Sexto*, dierum, & noctium viciſſitudo. *Septimo*, Eclipſes Lunæ tam horizontales, quam non horizontales. *Octauo*, apparentia motus ſolaris, & ſtationis terrenæ.

X I I.

Nulla Parallaxis ſenſibilis. *Primo*, ſiue in altitudine meridiana. *Secundo*, ſiue in diſtantia. *Tertio*, ſiue in magnitudine fixarum obſeruata, aut humanitùs obſeruabilis demonſtat Terram in centro Mundi quieſcentem.

Falſi-

X I I I.

Falſitatem Copernicęæ Hypotheſeos non euincunt. *Primò*, immenſitas octauæ ſphæræ. *Secundò*, maxima Saturnum inter, & fixas intercapedo ſtellis vacua. *Tertiò*; exilitas ſolis non valentis fixas ob ingentem illinc diſtantiam illuſtrare. *Quartò*, moles fiixarum ſextæ dignitatis V.G. *Alcor*, quæ ex Keplero Terraqueum continet vicibus 16933.994.432.&c.

X I V.

Stationem Telluris in medio Vniuerſi non demonſtrant. *Primo*, virtus magnetica directiua magneticorum verſus Terræ Polos. *Secundò*, motus grauium per aera naturaliter deſcendentium ſecundum quadrata temporum acceleratus, ſeù iuxtà numeros impares ab vnitate numeratos. 1. 3. 6. 7. 9. &c.

X V.

Nulla Fixarum Refractio. *Primò*, ſiue in aere noſtro. *Secundò*, ſiue in lentibus Teleſcopiorum. *Tertio*, ſiue quocumque alio modo conſiderata, & humanitus obſeruabilis Copernicanum ſyſtema euidentis falſitatis conuincit.

X V I.

Authoritas Diuinarū Scripturarum innegabilis iuxtà ſenſum litteralem, & planum intellecta, & intelligenda, realem Solis motum tam diurnum, quam annuum; & Telluris perfectam immunitatem à motu tum vertiginis, & diurno; tum translationis, & annuo, in centro Vniuerſi conſtitutæ efficaciter oſtendit &c.

THESES

THESES PROBLEMATIS.

I.

MAgnæ, aut Maximæ Coniunctiones Saturni, & Iouis, vel Saturni, & Martis, vel Iouis, & Martis, non ſunt ſigna, aut cauſæ Nouorum ſyderum, aut Cometarum in Cœlo ſuperlunari apparentium.

II.

Magnæ, aut maximæ trium ſuperiorum Planetarum coniunctiones non ſunt ſigna, vel cauſæ Translationis Regnorum, aut deſitionis veterum, & incæptionis Nouarum Rerumpublicarum.

III.

Multò minus eædem magnæ, aut maximæ trium ſuperiorum Planetarum syzygiæ ſunt ſigna, aut cauſæ deſtructionis, vel abrogationis *Antiquæ*, & creationis *Nouæ* Religionis ſupernaturalis, aut Aduentus magni Prophetæ &c.

VI.

Magna, aut maxima Saturni, & Iouis coniunctio, quæ anno Iuliano 44. aut 45. ſeù 6. ante natum Redemptorem celebrata fuit, neque produxit, neque ſignificauit ſtellam illam admirabilem, quæ tres Orientis Monarchas ad Chriſti Domini Præſepe deduxit.

Nulla

V.

Nulla ex magnis, aut maximis trium ſuperiorum Planetarum coniunctionibus ſignificauit, (nedum efficienter cauſauit) Natiuitatem, Prædicationem, Miracula, aut Paſſionem, & Mortem Chriſti Redemptoris.

V I.

Nulla ex magnis, aut maximis trium ſuperiorum Planetarum syzygijs potuit, vel inducere, vel ſignificare Cataclyſmum Noeticum, qui fuit anno Mundi 1656. iuxtà Hebraicam, & Latinam Editionem vulgatam; aut 2242. vel 2256. iuxta 70. interpretes, eorumq; verſionem Romæ editam iuſſu Sixti Quinti Pontificis Maximi, eſto non improbabile ſit, diluuium extitiſſe anno Mundi 2272. vel 1647. vt videre eſt apud Chronologos.

V I I.

Nulla ex magnis, aut maximis Planetarum coniunctionibus ſignificabit, aut efficiet Igneum totius Mundi Cataclyſmum.

V I I I.

Magnæ, aut maximæ Planetarum coniunctiones nullam habent vim cauſandi, aut ſignificandi inſignes, ac generales, ſiue Phyſicas, ſiue morales in Mundo ſublunari mutationes.

I X

Magna, vel (ſecundum alios) maxima anni proximè elapſi 1682. & iam labentis 1683. Saturni, Iouiſq; coniunctio pluries in Leone Rationali, non autem ſtellato, celebrata, nullam inſignem

gnem mutationem, ſiue phyſicam, ſiue moralem in Mũdo ſublunari potuit per ſe ipſam ſolitariè accepta, vel efficere, vel ſignificare &c.

Ad maiorem Dei Gloriam.

Diſputabuntur publicè ab eodem Ioſepho Ceruio In Eccleſia Cathedrali Parmæ Anno 1683. Menſe Iulij Die 11. Hora 21.



Pag.	Lin.	Errata	Corrige
12	2	Epicydi	Epicycli
19	11	Celeſtium	Cæleſtium
19	31	Errorum	Erronum
27	12	Que	Quæ
27	33	pauculi	paruuli
31	4	iuſiſſe	iuſſiſſe
32	25	Magos	Magis
32	33	Hicephorus	Nieephorus
39	11	nullam	nulla
42	16	dicit	dici
45	13	Cancro	Cancri
49	7	eſſe	eſt
62	33	prinipio	principio
68	28	aeram	aeream
75	30	ſptem	ſeptem